



**Specimen philologico-theologicum, exhibens Jesu Christi
doctrinam de veteris foederis libris, quatenus ea effici potest
ex ejus qui apud Evangelistas inveniuntur sermonibus**

<https://hdl.handle.net/1874/298654>

SPECIMEN PHILOLOGICO-THEOLOGICUM,
 EXHIBENS
 JESU CHRISTI DOCTRINAM DE VETERIS
 FOEDERIS LIBRIS,
 QUATENUS EA EFFICI POTEST EX EJUS QUI APUD
 EVANGELISTAS INVENIUNTUR SERMONIBUS,
 QUOD,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
 GEORGIO GUILIELMO VREEDE,
 JURIS ROM. ET NOD. DOCT. ET PROP. ORD.,
 NEC NON
 AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
 ET
 VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS
 SUMMISQUE IN
 THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
 IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
 PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET
 PHILIPPUS SAMUEL VAN RONKEL,
 Groninganus.
 A. D. XXV APRILIS, A. MDCCCLX, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,
 TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.
 MDCCCLX.

PER CRISTI DOCTORIA DE AETATE
BORGRIE LIBRIS

ESTERIO DE TOTIUS LIBRIS
LITERARUM ET HISTORICARUM

LIBRARIUS ET CURIOSUS LIBRARIUS

VIRO DOCTISSIMO CONSULTISSIMO NOBILISSIMO

ISAACO DA COSTA

PHIL. THEOR. LITT. HUM. JUR. UTRQ. DE. ORDINIS LEONIS. NEERL. EQUITI,

AMORE ET BENEVOLENTIA MEO PATRI;

NEC NON

VIRO DOCTISSIMO PLURIMUM VENERANDO

FREDERICO CONSTANTI VAN DEN HAM

SACRAE THEOLOGIAE DR. ANTISTITI ULTRAJECTINO,

SUMME COLENDO DOCTORI FAUTORI PIE VENERANDO,

HOCCE SPECIMEN

IN EXIGUUM GRATIARUM MONUMENTUM

D. D. D.

A U C T O R.

18760 BY CORTE

18760 BY CORTE

FRIEDRICH GÖTTSCHE VAN DER HULST

PRAEFATIO.

*Pauca praefari quum animus jubet, multa bona im-
merito accepta gratus recordans, tum monet disquisitio-
nis conscriptae ratio, tot tantisque bonis parum respon-
dens. Hoc enim specimen juvenilis non tantum operis
non egredi angustissimos terminos, sed ne levissimi qui-
dem tironis debile conamen, optime habeo perspectum.
Me vero non eum esse, qui summis honoribus in Theolo-
gia consequendis dignus sim, ingenuus fateor. Palam hic
profiteor quod intimo animo jamdudum mecum reputavi,
quod neque amicos multos unquam celavi, (testemini Vos
qui id legatis), cuius praeterea veritatis quisque posterior
dies certiorem mihi praebuit experientiam. Neque unquam
meum fuit studium hujus honoris capessendi, quo, utut est
optandus per se, mea eruditio est longe inferior, per bre-
vissimum tempus congesta. Quod vero haud fuit sum-
mum consilium, id mox arripiebatur vehiculi instar quo
mihi positam facilius possem attingere metam. — Lex
scil. jubet, per tres annos futurus theologus versetur in
scholis theologicis, antequam ei detur examini se submit-*

tere ecclesiastico. Nisi ipsa lex quandam permisisset exceptionem, hoc examen ante Kalendas Maj. 1861 a me subiri non potuisset. Mihi, flagranti cupidine JESU CHRISTI evangelium annuntiandi, una nunc relicta erat via, quae juxta doctoratus ducebat honorem; quo tacto examini me possem subjicere mox in sequenti. Rerum autem angustia caritatem me docuerat temporis, quod erat dispergiendum inter lectiones, vel mihi dandas in aliorum institutionem, vel in meam institutionem audiendas et accipiendas in scholis et ex librīs. Decem vel duodecim horae quaestui quotidiano ita querendo dicabantur; quae restabant diei horae scholis theologicis meisque propriis studiis contrebantur.

Anno praecedente mihi ultro proponebatur, examen ecclesiasticum nonnullorum benignitate praeripere. Diu diutiusque haesitavi, sumptus refutans examinibus doctoribus et promotioni q. v. necessarios. Longius resisti tandem vetuit quum extremus meae ipsius cupidinis ardor, tum benigna meorum fautorum liberalitas et amica voluntas. Deus O. M. sit iis, mihi magnam partem usquedum ignotis, fidus ac benignus benignitatis Remunerator et faciat ne ingrato ea impensa sit liberalitas. Ita consilium capere potui, quo examen Eccl. praeriperem, summos honores in Theologia consequendi. Ipsum hujus disquisitionis argumentum meum vocari non potest, quum equidem alterum quoddam per diuturnum tempus longe praetulerim. En candidate Lector hujus disquisitionis ansam tibi candide expositam. Quod autem tam debilis est, tam parum sufficiens, minime congruens cum omnibus illis, quae a tali opere, quamquam juvenili, jure pos-

sunt expeti, id tribuas mihi soli, nam tota omnino argumenti expositio mea est. Nonnulli viri egregii suas mihi aperuerunt bibliothecas ad libros mihi comparandos, qui aliunde peti aut non potuerunt, aut nisi magna cum difficultate. Quam supra monui hujus disquisitionis conscribendae fuisse ansam, eidem tribuatur, quod totius operis tam parva tuntum pars in lucem edita est. Totum opus, ex mensura typothetarum viginti circiter foliis constans, in scriniis jacet confectum, sed serius absolutum, quam ut tempore meo (i. e. ante Kalendas Maj. 1860) totum impressum potuisse sudans relinquere prelum. Haec habui quae publice mihi proferenda erant, sed simul profundas animi gratias ex pleno pectore non effundere non possum.

Quod vos, viri spectatissimi IS. DA COSTA et FRED. CONST. VAN DEN HAM! cum hacce disquisitione, tenuitatis tenuissimo fructu, gravissima et nobilissima vestra nomina, dedicatione accepta, conjungere voluistis, id quidem mei operis summum erit decus atque ornamentum. Tantis nominibus dignum opus utinam possem proferre, quod autem quominus possem prohibuit quum meae ipsius scientiae atque eruditionis inopia, tum vel maxime talium virorum virtutis et celebritatis ingens fama. Nec tamen hunc honorem mihi recusare voluistis, et solita eaque mira comitate mihi, tale quid petenti, morem gessistis. Sed maiorem jam a vobis expertus eram benignitatem, in me collatam per totum hocce triennium potiusve quadriennium. — Quarto enim anno abhinc adhuc Judaeus fui, sed sanctissimum CHRISTI Baptisma jamjam accepturus. Ante illud tempus internecino fere odio oderam vos tanquam christia-

nos; sed te praesertim, o mi pater DA COSTA! qui, olim ipse Judaeus, multis jam et ex Christianis et ex Judaeis signifer factus essem ad CHRISTI salutem vitamque coelestem. Quo dulciore modulatione canebantur, quo excelsiore spiritum, eo acerbiore me percusserunt vulnere tua carmina, poetae quidem Neerlandiae summi, sed Judeorum trans fugae ad CHRISTUM. Exosi erant tui hymni et psalmi, execrati, quippe qui nos adversarios, frustra luctantes, invitatos, irritos vi irresistibili ad JESUM CHRISTUM, tuum CHRISTUM corriperent. Quum autem vehemens odium in CHRISTUM tandem cederet nascenti gaudio in CHRISTO et converteretur majorem in amorem; tu non rejecisti me, qui publice te aggressus, contumeliis te obruere conatus eram; non repulisti me, sed laeto animo, hilari vultu me cepisti, mecum collocutus de Dei gratia in CHRISTO me docuisti, regiam viam ad coelos mihi ostendisti, Eumque praedicasti qui est et Via et Vita et Veritas. Patrem, odio religionis eheu! amissum tu mihi voluisti compensare et in te suscepisti erga me matris tenerae vices. Quid plura? Nonne equidem ipse, lectico amantissimi fautoris adstans, te audivi Deum laudantem et celebrantem, ast omnes a te longe removentem laudes atque grates, quae (sicut dixisti amabiliter, dulce ridens et suave saevissimos inter corporis dolores) nulli competit nisi soli Deo. Accipias igitur, tanquam pater, meam, tanquam filii, officiosam pietatem ac religionem; sicuti equidem tuas paternas manus benedicentes accipi, meo in capite vagantes. Hasce primicias et tibi offero, do, dico, dedico, ardentibus additis votis. Deus tibi benedicit, tibi faveat, te foveat benignus et propitius. Omnipotens

potens erigat te, reddat te integrum et incolument amantissimae uxori, nobili filio filiabusque teneris; reddat te amicis et fidelibus, Patriae et Ecclesiae, quorum multorum spes manes laeta et magnum solamen. Laudet et admiretur te grata posterior aetas, nostra tu es major, meis laudibus longe excelsior.

Non minimum certe DA COSTA in me contulit beneficium, me docendum ad te relegans, Doct. VAN DEN HAM! Quem enim potuisse nancisci fidarem religionis ducem, quem majorem in studiis fautorem, amiciorem in multis magistrum, meliorem in omnibus amicum? A primo inde tempore quo me cognovisti tua me prosecutus es sedula, velut patris amantis, benevolentia et boni pastoris anxia cura. Egregia tua doctrina me instituisti ad verum CHRISTI cultum; me debilem et flebilem sustinuisti; dubium et haesitantem corroborasti. Ab infestissimis hominum inimicitiis, ab altis minantium clamoribus, ab acri multorum maledictione, ab omnium injusto saepius odio ad Deum configgere tu me docuisti. Submisso atque abjecto animo non minax fuisti magister sed suavis adhortator, cordis fide et pectoris sensu summi doloris laetum lenimen. — Tandem tuis ex manibus salutiferi sanctissimi in CHRISTO Baptismatis in fronte accepi aquam! — Nec postea me amare desiisti, me docere, instruere, instituere ad omnes bonas res, quibus si non imbutus sum, mea est culpa non tua. Tu pergas me amare, quod ex aequo et constante tuo animo a tua parte tuto conjicio; a mea parte autem ut fiat ardens precor a Deo O. M. Hic te servet multorum ducem et fidum pastorem, IESU CHRISTI discipulum et integrum servum, Ejus Ecclesiae

columnam ac firmum fulcimentum, tuorum gregalium honorem ac dulces delicias, tuaeque familiac et dignum decus et optatam coronam et longaeum patrem familias; mihique in perpetuum sis fautor benignus meique memor amicus.

Ad te me convertere mihi liceat vir Cl. DOEDES! aestimatissime Promotor! Grata mente revollo, quot quantoque in dissertatione conscribenda a te acceperim humanitatis atque urbanae benevolentiae specimina. Tibi debedo argumentum hujus disquisitionis, pretiosas praeterea in eo elaborando tuas animadversiones, multaque alia, quae hic proferri tua me vetuit modestia summa. Neque in libris necessariis mihi comparandis neque alia in re tuum mihi detraxisti auxilium praesens atque promptum; et quamvis novi atque illustris muneris fere semper quasi obrutus laboribus, mihi te adeunti fere nunquam fuisti occupatus. In quo munere honorifico Deus te servet incolumem, hujus muneris in honorem, hujus Academiae et totius Ecclesiae in salutem. Quem brevissimo tempore tibi conciliasti plurimorum verentem et capacem, serves tibi omnium constantem et tenacem studiosorum amorem.

Gratam tuam qua fructus sum institutione nunquam non recordabor, Cl. BOUMAN! Quantopere istud orationis flumen, facetiarumque lepor, concinnitatis nitor ac suasae medulla tuum discipulum tenuit attentum et a labiis tuis pendentem. Nobis, tuis discipulis nec multifarii laboris fructus, nec temporis pretiosi moram, neque ingentis eruditioinis thesauros, exculti animi gemmas unquam detrahere voluisti. Rude donatum diu servet te Deus et senectutis coronam atque auctoritatem, conjun-

ctam cum fervore virili, tibi impertiat seni, quem virum peregrini vocarunt, gravi usi nomine, „Seniorem Ultrajetinum.” — Sed tibi in primis me devinctum sentio, Cl. VINKE! qui tam amice semper me excepisti, auxilio tuo saepissime mihi affuisti, ultiro quacunque in re diffcili adjutor mihi exstitisti et fautor. Cum stupenda eruditione conjungis tam miram comitatem, rara conditam humanitate erga tuos discipulos, ut ab his omnibus ameris, a nullo timearis. Sit in aeternum tua laus, quod omnium amorem et reverentiam et voluisti et potuisti provocare. Tuas, pii viri, Deus exaucet preces; consoletur dolorem uxoris amissae arctissima cum CHRISTO conjunctione. — Tibi quoque, Clar. TER HAAR! summae quas habeo aequae offerendae sunt meae gratiae pro solida institutione et benignis curis mihi impensis. Quum nuper gravissimos passus es dolores, sed maximos simul honores; tecum moerore doluere, lactitia fremuere omnes, qui te colunt tecum sentientes studiosi. Deus. O. M. omnes dolores a te avertat, leniat immissos, sed tibi debitos augeat et in diem confirmet honores. — Nec te, gratias ferens, praeterire possum, Cl. MILLIES! cuius nec scholas egregias neque hospitam domum fere unquam reliqui, nisi sapientibus instructus monitis, hac illave re scitu digniore certe ditione, sed semper benigne et comiter exceptus. — Quod in primis de te valet, Doct. et plurimum venerande vir BARGER! cuius pia ac scientifica institutione cum tot aliis summo cum gaudio singularis hebdomadibus fructus sum. Gratias quam maximas tibi offero, et minores quam quas debo pro tot bonis rebus a te auditis et communicatis. Deus te sustentet tuasque augeat vires ut pergere posses, quod usquedum fuisti, esse

summo usui et CHRISTI Ecclesiae et tuis amicis et omnibus illis studiosis, qui studiorum caussa te consultum quotidie te adeunt. — Post eximios DA COSTA et VAN DEN HAM tibi certe, doctissime KEMINK! maxima competit mearum gratiarum pars. Num ex doctissimo tuo commercio an vero ex commercio cum doctissimis viris plura didicerim dubius sum. Certo certius plura tibi debeo, et familiaribus tuis colloquiis et faceta confabulatione, sed multo magis egregio integri animi exemplo. In mediis tuis tibi parcat Deus et dilectissimae uxoris caritatem, hac in terra amissam, compenset tenero patri tum amantissimae filiae tum tuorum filiorum grata pietas. Diu fruare tua matre, quae matrona dignissima tot infelicium est refugium, magnum in miseriis fulcimen. — Sis mei meorumque memor; quod a te, quod ab omnibus, qui me amarunt et beneficiis affecerunt, ex intimo animo rogo atque precor.

Scripsi Trajecti ad Rhenum

a. d. XIII Aprilis 1860.

INTROITUS.

DISQUISITIONIS INDOLES PHILOLOGICA; ADDITA EJUS ARGUMENTI
HISTORIA, QUA FUNDAMENTUM DISQUISITIONIS FUSIUS
EXPOSITUR, VINDICATUR EJUSQUE CONSCRIBENDAE
TEMPOS PATET APTUM.

§ 1.

Disquisitionis indoles ejusque conscribendae ratio.

Multa ex V. F. Scriptis a N. F. Scriptoribus allata esse enuntiata, cum originali textu h̄c plane convenientia, illie toto coelo ab eo diversa, plus minusve alibi a fonte primario recedentia quisque videre potest. In eorum autem enuntiatorum originem, disserimen, usum, significationem, totam universe indolem penitus inquirere summi habendum est momenti; partim ob singularem illorum a profanorum citatis diversam rationem; partim quoque ob summum quod utriusque Foederis scriptis tribuitur pretium; maxime autem quia tali ex inquisitione effici possit, quid N. F. Scriptores de V. F. scriptis cogitarint. Quo facto ipsisque, quae

a Scriptoribus N. F. de V. F. diserte prolata sunt, perpensis effatis statui poterit, quaenam JESU Apostolorumque de V. F. scriptis fuerit doctrina. Omnes autem, qui permulti sunt, h̄c afferre locos ex V. in N. F. allatos, eosque inter se invicem conferre, opus est majus, quam quod dissertationis, quac mihi scribenda est, ingenii virium, si quae adsint, haud nimis excederet terminos.

Etsi nimio rerum ambitu prohibeor, quominus exponam, quid singuli N. F. Scriptores de V. F. scriptis cogitarint, tamen liceat eorum omnium Magistri tradere de Sacris Libris doctrinam, quatenus haec effici possit tum ex disertis ejus de Sacris Libris enuntiatis, tum ex V. F. effatis ab eo allatis, quac multa suis sermonibus sunt interserta. Ex hisce igitur JESU sermonibus, ab Evangelistis servatis, explicare conati sumus: *Quid JESUS de V. F. scriptis cogitaverit, s. quaenam de V. F. scriptis JESU fuerit doctrina.* Qua in disquisitione ordinem ut tueamur bonum utque caute procedamus, ab hac egressi sumus thesi, aut si mavis, ab hoc axiome: *JESUS suis in sermonibus saepissime usus est sacris scriptis V. F.* Quo facto sequentes nobis proposuimus quaestiones: Undenam, qua forma, quo consilio, qua tandem ratione JESUS usus est V. F. scriptis? Ad eas respondere tentavimus agendo: 1° de scriptis et textu unde allegationes JESU fiunt nec non de formis et formulis citandi; 2° de eo quem JESUS Sacrorum Librorum fecerit usum; 3° de JESU Sacrorum Librorum interprete; dum postremo ex disputatis celiemus JESU de Sacris Libris doctrinam.

Quae omnia autem nullo alio modo evinci possunt

ideoque haud aliter evincenda sunt, quam sanae hermeneutices leges omnibus locis a JESU ex Sacris Libris allatis applicando. Summa cum cura ipso eum textu, ex quo hausti sunt, primario comparandi sunt loci inde mutuati, nisi alicujus versionis aperta p[re]se ferant indicia. Quod si patet, videndum est, num cum textu originali plane congruat ea quae inde profluxit versio; idque quoad totum loci argumentum, quando hoc in citato aliquo urgetur; ad ipsas voces et voculas, si quae loco allato insint, de industria hocce modo ei immiscae aut additae, ut, eo ipso, omnem auditoris aut lectoris sibi poscant animadversionem.

Mere philologica ea est disquisitio, quamquam ejus fructus, — quorum utinam aliquos carpere possem et proferre, — Theologiae Dogmaticae usum ferant. Quia autem, aesi p[re]fructibus uberibus ipsa non videtur arbor, saepius Dogmatices legibus subjiciebatur hujusque habebatur quaedam pars; equidem h[ic] ingenue profiteor, me nullis nisi grammaticae et historiae vinculis adstrictum hae in disquisitione elaboranda versari, et totum philologiae me tradidisse regundum. Quae dicens respicio ad verba FRITZSCHII¹⁾,

1) Verba cim. FR. FRITZSCHII, in Commentatione 4^a de *ἀναμάρτητα*
JESU CHRISTI, in Opusculis Academicis, editis Lips. 1838 a CHR. FR.
FRITZSCHIO et duobus ejus filiis, p. 120. — De Philol. Sacrae notione vi-
de G. B. WINERUM, Grammatik des N. T. Sprachdioms Ed. 6^a, Lips. 1855,
p. 2, et Scriptores ibi memoratos. — Verissima mihi videntur verba E. RE-
NAN: „or une histoire attentive de l'esprit humain depuis le XV^e siècle
démontrerait, ce me semble, que les plus importantes revolutions de la
pensée moderne ont été amenées directement ou indirectement par des
conquêtes philologiques. La renaissance et la réforme sont nées à la
suite d'une revolution en philologie.” Rev. d. d. M. Janv. 1860, p. 380.

Theologi Halensis, quae multo melius quam mea id possent meam hac de re reddant sententiam.

„Ne multa, inquit, non solum de sacrorum scriptorum *verbis*, verum etiam de *rebus* ab illis expositis vere judicet interpres oportet. — Sed haec omnia sunt *Grammatici* s. *Philologi*, ut hodie loquuntur, cuius munus latius profecto patet quam iis videtur, qui grammaticos verborum corticem frangere fingunt, rerum nucleos a *Theologicis* interpretibus (sic enim loquuntur) benigne hominibus porrigi clamitant. Scil. qui se *grammaticos* s. *philologicos* librorum sacrorum interpretes vocant, ut lectores idem prorsus, quod scriptores sacri cogitaverint, sentiant, efficere student, quod nisi sacrorum scriptorum sententiis accurate expositis fieri nequit, *philologicam* autem s. *grammaticam* suam interpretandi rationem appellant, celebratum proverbium sequuti: a potiori fit denominatio.”

Disquisitionem meam rite elaborandam multis ceteroquin et multifariis premi difficultatibus, bene cognitum habeo, quas autem non eas censeo, quibus a penso proposito me absterrerri facile patiar. Magna quidem sunt impedimenta, quae oriri possunt ex quaestiuculis, quales sunt: num Evangelia revera continent *ipsius JESU* aut *ipsa JESU verba*. Prius quaeri potest ex eo qui *JESU doctrinam*, hoc ab eo qui *verba a JESU citata* tradere velle contendat. Porro objici potest, *JESUM* usum esse sermone sua aetate in Palaestina usitatissimo Aramaeo. Sed, quod disquisitionis titulo jam indicavi, id expressius hinc dicatur: me scil. doctrinam (de Sacris Libris) velle eruere istius *JESU*, cuius effigiem Evangelistae expressam nobis praebent, eamque in

Evangelii. Ceteroquin parum credo, me posse pro certo jam accipere: JESUM cum populo semper unice locutum esse aramaïce s. syro-chaldaïce, siquidem a populo vellet intelligi. Hac de re minus gravi fusius huc agi vetat dissertationis rite conscribendae ratio. Verbum faciat vir, quem, in linguae Graecae JESU tempore usus defensione, nemo fortassis nimiae accusabit aeritatis, ERNESTIUS. „Si cogitamus, inquit, Graecam linguam eo tempore inter Judaeos fuisse valde usitatam, et sic porro; facile patebit, linguam communem neque pure Ebraicam s. Syro-Chaldaicam, neque pure Graecam esse potuisse, praesertim inter homines vulgares, quos omni tempore scimus linguae puritati non valde studere”¹⁾). Constat quidem JESU tempore

1) Cf. ERNESTI, Comment. de usu vitae communis rlx., in sylloge Muntinghiana, p. 12. Qui autem hac de re plura scire cupiat, adeat libros mox citandos, ad quos provoco ad meam sententiam de lingua Graeca tempore JESU in Palaestina usitatissima stabilendam. JOH. OLEARIUS, diss. de Stylo N. T. Aph. I. § 3. p. 58 (Synt. Rhenferdi.); — JOH. LIGHTFOOT, Hor. Hebr., ad Matthaeum, p. 191 et 192; — H. E. G. PAULUS, de Judaeis Palaestinensibus JESU et Apostolorum tempore non Aramaea dialecto sed Graeca quoque locutis, Jenae 1803, (quem librum mihi comparare haud potui); — HUG, Einl. II. 27—49. Edit. (qua utor) quarta; — SCHLEIERMACHER, Hermen. p. 61, 62; — WINER, Realwörterb. H. 502; — CREDNER, Beiträge z. Einl. rlx., Halae 1838, p. 374 sqq. I. 14; — CHR. E. LUTHARDT, das Johann. Evang., Norimb. 1852, I. p. 55; — HILGENFELD, die Evang. nach ihrer Entst., Lips. 1854, p. 116—119, ubi jure contendere mihi videtur Matthaeum suum evangel. graece conscripsisse; injuste autem inde concludere, eum fuisse Hellenistam; — H. E. F. GUERICKE, Geschiedenis van het Nieuwe Testament of Nieuw-Testamentische Inleiding, naar 't Hoogd. Traj. ad Rh. 1857, p. 67—71; — J. M. JOST, Geschichte des Judenthums und seiner Sekten, Lips. 1857—59. I. p. 39 in nota, p. 109—127; 177—178, ubi sermo est de METHURGEMAN; II. passim.

Graecam linguam longe lateque fuisse divulgatam; eam quoque in Palaestina haud ignotam fuisse aequo constat. Quid nunc impedit, quominus statuamus, JESUM cum turbis ($\tauοις \deltaχλοις$), quibus admixti erant Hellenistae et peregrini, graece locutum esse? Analogia historiae populorum minorum, qui majoribus subditi sunt iisque intermixti; regionum, ubi duae unâ usui sunt linguae, altera majoris et dominantis, altera minoris et submissi populi; sana ratio, quae docet, ex duabus aequo cognitis linguis excultiorem in suum usum eligere et uberiorem, ad novam et spiritualem doctrinam aptius communicandam; temporum praeterea JESU ejusque acqualium conspectus historicus, — ea omnia satis suadent, credere, JESUM cum populo locutum esse graece.

§ 2.

Argumenti historiae prolusio.

Nonnulla effata de mutua necessitudine V. inter et N. F.

De sententiis et rebus, quae ex scriptis V. in N. F. allatae sunt, complures egerunt, saepissime in libris exegeticis et dogmaticis, quorum auctores iudicium suum obiter protulerunt in loco de necessitudine V. inter ac N. F. Citationes illas de consulto perquirere et explicare viri docti rarius conati esse videntur. Rarissime vero sibi executienda sumpserunt ipsa JESU ex V. T. citata. Nec mirum. Ineunte hoc seculo tandem coepta est singulorum Apostolorum doctrina singulatim exponi; usque ad illud tempus èt JESU

et Apostolorum doctrinam et singula enuntiata, eodem modo eodemque ordine tradere solebant. Haud aliter agebatur de JESU Apostolorumque ex V. F. citatis. Nec tamen ideo priores, qui citationes universe pervestigariunt, negligi possunt in historia nostro de argumento singulari et arctius circumscripito conscribenda. Ex eorum agendi ratione orta est nostra. Qui vero nostra de re non de industria egerunt, iis hujus in historia aperire locum non licet; nec tamen, quia sua vice magnam in ipsam excercerunt efficaciam, eamque saepe beneficam, silentio illi praetereundi sunt. Quare, antequam disquisitionis narrabimus historiam, hujus in prolationem aliquot illorum sequantur egregia effata, quae promulgata sunt de V. ac N. F. mutua necessitudine.

Pauci ac parci hic sufficient flosculi, sine ordine decerpti. Quantam vim exercuerit sua cujusque in doctrinam priva opinio, quomodo simul unius ex alterius profluxerit sententia, ne quis, qua id indicetur, a me postulet historiam. Cum MESSNERO tali in causa, NEANDRUM securis, nobis inquirendum esset, num et quomodo N. F. Scriptorum in JESU evangelio tradendo methodus diversa originem debeat diversis eorum opinionibus de JESU CHRISTI ad V. F. relatione¹⁾. Illud non esset omitendum JOHANNEUM: „Lex per MOSEN data est, gratia et veritas per JESUM CHRISTUM facta est;” urgendum PAULINUM hoc: „Lex paedagogus nobis facta est ad CHRISTUM, ut e fide justificemur; fides quam venerit nondum sub paedagogo sumus;” vel illud: „Finis legis

1) Cf. H. MESSNER, de Leer der Apostelen (naar het hoogd.), Tiel, 1858, p. 37 et passim.

CHRISTUS ad justitiam omni credenti." JUSTINI MARTYRIS Dialogus cum Tryphone nullo modo mihi esset praetereundus; IRENAEI effatum explicandum: „Nullus sermo divinus nisi Dei unius, quo prophetae, quo Apostoli, quo ipse CHRISTUS intonuit." Nobis agendum esset de *Scholae Alexandrinae* ratione V. ac N. F. arce conjungendi; de *Schola Antiochena*, cuius patroni, uterque THEODORUS, (quod ante hos fecerant IRENAEUS et TERTULLIANUS), et N. et V. F. aequo vocarunt „Dei voces" et utrumque Foedus aequo habuerunt Dei opus; sed hoc praeterea posuerunt discrimen: Deum in V. F. indicasse CHRISTUM JESUM, quo totum contineatur Novum Foedus. AMBROSII tum in memoriam revocandum esset illud: „Vetus in typo, Novum in veritate," ejusque discipuli AUGUSTINI notissimum: „Novum in Vetere latet, Vetus in Novo patet." Inquirendum nobis esset, quid Scholastici sibi voluerint, statuentes „Utriusque Foederis necessitudinem et distantiam esse ratione legis Novae et Veteris", et simul expoundum THOMAE AQUINATIS judicium de lege timoris et amoris, hac perfecta et adimplente illam imperfectam.

Ea omnia mihi praestanda essent, antequam rite possem transgredi ad LUTHERI egregium effatum: „Magni igitur aestimandi sunt V. F. libri, quod sint eeu fundatum quoddam, quo N. T. nititur.... Et N. T. quid quaeso aliud est, quam aperta quaedam praedicatio sententiarum et promissionum V. F. quae per CHRISTUM sunt completæ." Quae verba plane redolent Augustinianum illud: „Quid est, quod dicitur V. F. nisi occultatio Novi? Et quid est aliud, quod

dicitur Novum nisi Veteris revelatio?" .. CALVINI judicium de V. et N. F. *commercio et discrimine*, nulla quidem imagine involutum, sed disertis verbis abunde expositum est in Instit. Lib. II. c. xi et xii. Breve perspicuorum illorum h̄c dare argumentum et lectori et mihi difficile est; aequae ac h̄c ingrata esset et molestior expositio Theologiae *federalis*, *propheticae* et *typicae*. Posterioris temporis potius afferamus virorum celeberrimorum, quamvis pauca, effata de nexu inter Novum et Vetus Testamentum.

Postquam per totum fere seculum certatum erat, utrum Christianus mundus fructus fuerit notionum inanum et obsoletarum, an vero novi quid, callidae atque astutae accommodationis fragili vinculo cum Judaismo conjunctum, tandem exstitit SCHLEIERMACHERUS¹⁾, qui palam professus est: „excepto n̄xu historico, nullum cum Judaismo commercium habet CHRISTI religio, quoad speciales et privas suas proprietates.” De quo judicio SCHLEIERMACHERI laudator KRAUSIUS haec habet: „quam sententiam quamvis Ecclesia Christiana nondum foveat, tamen optandum est ut ei faveat et faciat, ut facultas Christianismi in se sistendi, usquedum imperfecta, perficiatur, respectu ejus separationis a Judaismo.” Multo aliter judicavit, quem Exegetarum vocarunt principem, DE WETTIUS, dicens: „Quod JESUS sibi proposuerat inter homines communicandum, id ea ratione differt a Mosaismo, qua meridies a dilucu-

1) Cf. R. SCHLEIERMACHERI liber: d. Christl. Glaube, I. p. 122 sqq. Cujus h̄c memoratam sententiam videoas refutatam a BIALLOBLOTZKY in opere infra laudando p. 160—179, et a FLECKIO in opere: System der Christl. Dogmatik, Lips. 1846, p. 293 in nota.

lo, perfecta idea ab effigie imperfecta." Quae verba AUGUSTINI prorsus spirant mentem tradentis (in Psalm. LVIII. Conc. 2): „Jam non ad *lucernam* prophetiae ambulamus, sed ipsum Dei verbum tanquam *solem* contemplamur." BRETSCHNEIDERUS paullo aliter quam scholastici sibi fixit necessitudinem V. F. inter ac Novum; dicit enim: „Lex moralis Mosaica seu decalogi eadem est cum lege CHRISTI."

STEUDELII effatum: „V. Testamentum est substrati instar ingenuae revelationis, sed ejusmodi revelationis, quae sit praeparatoria et quae prospiciat salutem futuram Messiae adducendam", a NITZSCHIO modificatum est et amplificatum his verbis: „Qua ratione inter se invicem cohaereant perfectio et praeparatio, terminorum amotio et positio, immediatum et mediatum, eadem cohaerent Novum ac V. Testamentum." J. CH. K. HOFFMANNUS p[re] superioris non p[ro]fert hujus sententiam, utramque quodammodo carpit et corrigit dicendo: „JESUS est historiae finis et centrum; finis initium est Ejus Φανέρωσις in carne." — „Nunc, mox pergit, ad relationem perspicuo indicandam, quae N. inter ac V. Foedus intercedat, non amplius sufficit commercium perfectionis et praeparationis, amotionis et positionis terminorum, praeparatoria et finalis revelationis; sed (Dei) verbum inspiratum praebet hominem in V. F. eatenus tantum, quatenus sit destinatus ut olim foret *vīdēθεοῦ*; N. F. ipsum *vīdēθεοῦ* declarat. Illic hominis persona in ea est conditione, in qua a Deo creata est, ejus vero natura in conditione peccato obnoxia; hic contra hominis persona in conditione est a Deo genita, ejusque natura eo est progressa ut fere libera dici posset", sqq.

Multo brevius et concinne HASIUS in *Huttero redivivo* dicit: „Mutua expositio et explicatio a parte historiae mutuam efficit relationem N. inter ac V. Foedus; a parte contra dogmatica eam efficit utriusque F. revelationis unitas, tamquam praedictionis et impletionis.”

Complures praeterea inveniuntur imagines ad eam, de qua saepius sermo fuit, necessitudinem N. inter ac V. F. veluti approximando tradendam. Tales autem imagines rem difficillimam non multo faciunt clariorem. Plurimque inveniuntur in libris de Dogmatica aut Theologia universe aut de Vita IESU speciatim conscriptis, ubi obiter tantum de re nostra agunt auctores. Tales imagines sunt: semen et fructus, arbor et apex, (OLSHAUSENII) germen et planta, et quae reliquae sint. Pulcherrimam THOLUCKII praeterire non licet: „Sub forma V. T. involueris vivit et se movet N. T. Psyche.”

Quo melius ad finem hujus paragraphi properemus, quae forsitan justo jam major est, unam licet addere observationem hermeneuticam q. v., quam BILLROTHUS ad 1 Cor. I:19 notavit et quam optavit omnibus S. C. interpretibus fore acceptam. „V. Testamentum, inquit, universe spectandum est sua in totalitate Novi esse typum.... Cum nativo Mosaismi ingenio alta praesagiente mire congruit IESUS, quem prophetismus rapit regeneratus et ad summum adductus fastigium.” Jure dicit THOLUCKIUS, „talem legem hermeneuticam mechanice applicatam ad COCCEJI reducere theoriam, logice autem procedentem fere similem esse OLSHAUSENII interpretandi methodo, qua duplex scripturae

accipitur sensus: *sublimior et inferior.*" Id autem nil aliud est nisi promulgare, artem hermeneuticam indigere fundamento dogmatico. Nimis jam quaestionibus mere philologicis admixta sunt elementa dogmatica. Id ipsa doceat nostrae quaestionis historia. Quae, quod facile fieri posset, si justo prolixior videatur, id tribuas meac sententiae de historia singularis alicujus rei rite describenda. Consentunt, nullam rem, quae describatur, ex rerum natura ita posse eximi, ut nullo plane commercio porro cum ea cohaerent, quacum multo magis manet conjuncta variis momentis. Suam efficaciam exserunt, (alternis vicibus nonnunquam, fere semper coniunctim), quum totum in partem, tum pars in totum. Rei, cujus historiam delincandam aliquis sibi proposuerit, ejus quaerat, si quidem adest, principium unde exorta sit. Ejus sequatur processum in tempore, quem ita proponat, ut appareat, *quum* quam vim ipsa res subierit a rebus circumiacentibus et a toto cuius sit pars; *tum* illud ab hoc non affici ne cogitari quidem posse, mutua relatione, quae intercedit inter totum ejusque partem. Qui alicujus, vel minimae corporis partis tradit physiologiam, ad ipsum corpus non respicere non potest; haud secus historiographo agendum est, qui alicujus argumenti singularis historiam tradere velit. Nostrae disquisitionis argumentum intime cohaerere nobis videtur cum certamine, quod diu vehementerque gestum est inter Puristas et Hebraistas qui vocantur. Philologica vero quae initio fuit quaestio mox evasit dogmatica, dum postremo in regionem redacta est quo pertinet. Id indicare est nostrum. Sua sponte duas

magnas in periodos dispescitur haec historia, quae percurrit, inde a Reformatione usque ad Semlerum, aetatem *congerendi* materiem; a SEMLERO ad nostrum usque tempus, aetatem *digerendi* collectam¹⁾). Ante Reformationem nil fere dictum est de forma et indole citationum in N. F., unum quum excipimus HIERONYMUM, cuius judicium hinc sequatur. In libro de Optimo Genere Interpr. III. 168 de allegationibus in N. F. universis: „perspicuum est, inquit, Apostolos et Evangelistas in interpretatione veterum scripturarum sensum quaesiisse non verba, nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret.” Ad Jes. XXIX animadvertisit: „(Notandum est) Evangelistas et Apostolos non verbum interpretatos esse de verbo nec LXX interpretum auctoritatem secutos, quorum editio illo jam tempore legebatur, sed quasi Hebraeos et instructos in lege, absque damno sensuum suis usos esse sermonibus.” Paullo post sequuntur haec: „observanda est regula: Evangelistas et Apostolos absque damno sensuum, interpretatos in Graecum ex Hebreo, ut sibi visum fuerit.” — Ad ea mox transeamus tempora, quibus tum caeteris tum theologicis literis melior lux affulsit. Literis renatis, omnia, quae ex antiquis temporibus reliqua et cognita erant, scripta inquisitionibus subjiciebantur philologicis. Codex Sacer non excipiebatur, quin omnium primum arripiebatur, sed separatam sibi habebat provinciam *Philologiae Sacrae*, in qua magna praesertim praestitit ERASMUS, qui et suis ipsius et aequa-

1) Cf. CLARISSII Encyclop. Theol. Ed. 2^a p. 220; Nota 4.

lium curis philologicis promovendis paratam struxit
viam Reformationi.

§ 3.

*Disquisitionis argumenti historia, inde a Refor-
matione usque ad Semlerum.*

Tres hocce tempore praeprimis animadvertisenda sunt
animi manifestaciones agendique rationes: LUTHERI,
qui S. S. animatam sibi vindicavit sanctissimamque ma-
teriem, et Dei gratiam Ecclesiae opposuit operibus;
ZWINGLI, qui a traditione ecclesiastica provocavit ad
S. Scripturam eamque summum habuit judicem et uni-
cum fiduci arbitrum, vivendi agendique normam; ERASMI,
qui discedens a vulgata versione ecclesiastica ipsam
Sacrorum Librorum formam accuratissimae subjicit
scrutationi. Summis triumviris quasi uno eodemque
tempore traditum erat veluti vas quoddam pretio-
sum, aequa pretiosa repletum materie, figuris pae-
torea variisque caelatum characteribus. Pretiosa LUTHE-
RUS delectatus est materie, pretioso vase ZWINGLIUS,
dum ERASMUS exponit et polit caelaturas pulvere
obductas, fere attritas, quas nunc miratur, nunc car-
pit. *Primum* hodie sunt qui dicant Reformationis po-
suisse fundamentum *materiale*, *secundum* vero *formale*;
agedum, *tertium* dicamus *tertii* principii cuiusdam, sc.
Philologici stravisse fundamenta, quod licet principii
nomine insigniri fere non possit, tamen suam in ec-
clesiam exserere vim et efficaciam nunquam destituit.

Studium S. C. philologicum, primo tempore langui-

dum, acrem mox et strenuum acquisivit defensorem: MATT. FLACIUM ILLYRICUM, qui anno 1567 *Clavem* edidit *Scripturae Sacrae*, qui liber, ex Budhei judicio, „velut quoddam hermeneuticae sacrae sistema efficit.” Primus est FLACIUS qui de *citationibus in N. T.* nonnulla tradit idque ratione, ut videtur, philologica. „Sacrae litterae,” inquit, „sunt adeo praeognantes optimis rebus, ut sint quasi perpetuae quaedam sententiae, vel propalam tali forma propositae, vel, quae licet sint circumstantiis convestitae, et quasi ad individua applicatae, facile tamen ad generale *dogma* perduci queant. Commode dissime eas distinguere possemus, si diceremus, alias esse *legales*, alias *euangelicas*, denique alias *de communi vita, moribus aut rebus*: quae possent subdividi in *politicas* et *oeconomicas*.” Ita FLACIUS de *sacra*, quam vocat, *gnome*. Ipsa jam divisio locorum citatorum indicat, quam firmiter firmus ille dogmaticus dogmatices vineulis fuerit constrictus. Idem fere animadverti potest apud duos, qui haud longe post eum floruerunt FRANCISCUS JUNIUS¹⁾ et DRUSIUS²⁾, qui ediderunt, alter Heidelbergae (1588) *Sacerorum Parallelorum libros tres*, alter Francofurti (1588) *Loca parallela*, ad locos, qui ex V. in N. F. sunt allegati, commemorandos, illustrandos et inter se invicem apte conciliandos. FRANC. JUNIUS de allegationibus speciatim suum tradit judicium, (Parall. I:5).

1) FRANC. JUNIUS, *Sacr. Parall. libri tres*, etiam scorsim editi; Heidelb. 1588, Tom. I. p. 979—1266.

2) DRUSIUS, *Loca parallela*, Francof. 1588, Vol. VIII. p. 1—58.

„Quae mutationes”, inquit, agens de locis ex V. F. allatis, sed in N. F. mutatis, „sunt a scriptoribus authenticis, etsi non ex iisdem causis tamen duce Spíritu Dei fiunt, qui prout est liberriimus eadem veritate semper et ubique ἀναντιβοήτως utitur, ac non iisdem verbis adstringitur. Ex quo sequitur *primum*, harum probationem nullam vitiosam: *deinde* omnino illis haberi fidem oportere et deponenda nobis esse judicia nostra, ut acquiescamus divino verbo et Spíritus Sancti testimonio.” Aliter audit judicium FRANZII¹⁾, quem post FLACIUM Buddeus summum vocat. „Sed haec,” inquit, „ex aliis libris *judaicis* legit (Scriptor Epist. ad Hebr.) ex quibus etiam PAULUS 2 Tim. III:8 nominat duos magos PHARAONIS; Judas v. 9 altercationem Archangeli cum diabolo super corpore MOSIS. Et (animadvertis sequentia) *ex quibus CHRISTUS tum alia plurima, tum aliquot parabolás mutuatus, hominibus plus stuporis inferre voluisse, ab eruditis existimatur*, quomodo ipse illiteratus (!) ex profundis voluminibus Hebraeorum talia posset proferre (!!).” Eandem fere sententiam fovit DRUSSIUS, vir literarum Orientalium eruditione penitus imbutus. Nec mirum.

Sub eodem scil. tempore pygmaea ista inter heroes exorta erat pugna, cui ERASMI quoddam enuntiatum iterum ansam dederat. Hic enim „Apostolorum sermonem non solum impolitum dixerat et inconditum, verum etiam imperfectum et perturbatum aliquoties

1) WOLFG. FRANZIUS, Tractatus theologicus novus et perspicuus de interpretatione Sacrarum Scripturarum maxime legitima. Ed. 5^a, Witteb. 1708.

plane soloecissantem." Mox galeatus in aciem prodiit BEZA, in *digressione de dono linguarum et Apostolorum sermone*, haud negans „Apostolorum sermonem multis, qui ei insunt, hebraeismis factum esse impure Graecum, nec tamen per se impurum, pollutum et inquinatum, sed multo magis illos hebracismos esse ejusmodi, ut nullo alio idiomate tam feliciter exprimi possint, imo interdum ne exprimi quidem." Hujus a parte stetit H. STEPHANUS in praef. in N. T. edit. anno 1576¹⁾. Plurimi autem iisque doctissimi viri ERASMI sententiae patronos se professi sunt. Quo magis N. T. Graecitatis negare possent puritatem, adversarii nimis aberrabant continuo in contrarium partem. Cujus rei inter alia evidens sit testimonium *Philologia Sacra* a SALOMONE GLASSIO anno 1626 primum edita, quae aequarium fere omnium literatorum oculos inflexit. Totus GLASSII liber sat prodit opinionem: sufficere grammaticam unam utrique linguae Hebraeae ac Syro-Grae-

1) H. STEPHANI praefatio, seorsim edita, legitur in T. H. V. D. HONERT *Syntagmate diss.*, Amst. 1702 (3). p. 3—28, et IAC. LYDI Agonistica rlxq., Franeq. 1700. p. 188—230. — THEOD. BEZAE diss. in *Syntagmate v. d. HONERT* sequitur post H. STEPHANI praefationem. — Cf. WINER, *Gramm.* p. 12. Ex iis quae eadem pagina scripta sunt conjicio, Doct. WINERUM PFOCHENII librum legisse, qui bis editus est, idque separatim Amst. 1629 et 1633, nec vero eum, qui receptus est in RHENFERDI *Syntagmate* (Lcov. 1701). Ibi RHENFERDUS diserte et prolixè dicit, PFOCHENII librum editum esse contra COCCEJI praefationem in versionem *Sanhedrin* et *Maccoth*. Haec est caussa cur apud RHENF. post ipsius PFOCHENII *diatriben de L. G. puritate* statim sequantur COCCEJI (quem GATAKERUS et SOLANUS in scriptis contra PFOCHENIUM vocant COCHIUM) in PFOCHENII *diatriben stricturae*. Concedendum est PFOCHENIUM sapientius conatum esse DRUSIUM refutare, sed GLASSII nullam mentionem facit.

cae¹⁾), qualem eo tempore N. F. linguam vocabant. Huic libro adjecit, veluti in mantissa, tractatum continentem „ex Testimonio desumpta schemata,” in quo agit de allegationibus in N. F.²⁾.

In iis tractandis GLASSIUS duplex patet habuisse consilium; ab una parte indicare voluit fontem, unde tot Hebraeismi emanarint et Apostolorum immixti sint scriptis; ab altera parte, sui temporis rationibus aliquantum cedens, ansam quaesivit hostiliter invehendo in versionis Alexandrinae auctoritatem. Agit de allegationibus ordine ad marginem notando et, FRANZII secutus exemplum, ex Rabbinicis scriptis quoque nonnulla in N. F. esse allegata autumat. Memoratu dignum videtur, quod *uno* tantum anno post philologiam GLASSIANAM in lucem editam prodiit ANDREAE KESSLERI dissertatio „*de allegationibus dictorum V. T. in Novo.*” Eam ob rationes dogmaticas conscriptam esse ingenuus ipse fatetur auctor doctissimus. Polemica ratione acutissime nonnunquam agit, Porismatibus ipsi expositioni additis,

1) Cf. BOECLERUS, qui in diss. *de lingua N. T. originali*, usum hujus nominis defendit (Rhenf. Synt. p. 129).

2) Cf. S. GLASSIUS, Phil. Sacr. a DATIO Edit. Lips. 1776—1404. Agit de Allegationum quum *forma interna* (de sensu) tum de *forma externa* (de charactere dicendi et modus allegandi). Quoad priorem allegatio fit: vel *in sensu ipso* a Sp. S. intento (litterali, typico et mystico) vel *in analogica accommodatione*. Quoad posteriorem: 1°, ex vers. τεῦ LXX frequentissimc, 2° non semper secundum literam et verba singula, 3°, uno ex duobus aut pluribus contexto enuntiato. — Maximam partem secutus est FRANC. JUNIUM (Tom. I.). — Huc statim adjungere licet LUDOVICUM CAPPELLUM, qui in *Crit. Sacr. Lib. II de allegationibus IV capp.* habet. In *primo* ostendit, S. Scriptores text. Hebracum interdum sequi; in 2°, eos neque Hebraeum textum nec vers. Al. sequi; in 3°, eos saepe sequi vers. Alex; 4°, eos eam versionem in allegando saepius mutare.

contra BELLARMINI et Ecclesiae Pontificialis universae doctrinam, qua Sacrae Scripturae lectio vetatur. Gladium simul nonnunquam vertit in eos, qui V. F. in rebus religiosis auctoritatem abnegant. Totus liber, qui multa continet lectu dignissima, conscriptus est in modum et phraseologiam technicam scholasticismi suae aetatis. Materies in infinitum dividitur et subdividitur. Octo recensentur caussae cur citentur V. F. libri a N. F. Scriptoribus, quarum octavam una cum auctoris tractandi ordine ad calcem hujus paginae subjunximus¹⁾. Nullus dictae dissertationi aptior dari potuit locus quam is, quem RHENFERDUS in Syntagmate ei tribuit post HOTTINGERI et VORSTII diatribas, illius *de usu scriptorum Hebraicorum in N. T.*, hujus *de Adagiis* N. Foederis. KESSLERI dissertatio pertinet ad symbolas literarias illorum dierum, et quidquid inservire potuit augendis scriptis, quae contra linguae N. F. puritatem pugnabant, avide arripiebatur. — Magis magisque ad extrema ruit Hebraismus, cui quoque coccejus patrocinatus est in Praef. ad versionem Talmu-

1) ANDREAS KESSLER, Dissert. de dict. relqq. Jenae 1627 (Synt. Rhenf. p. 539 sqq.) Ordo tractandi hoc modo est. Agitur 1° de ipsis dictis; 2° de autoribus qui allegantur; 3° de autoribus qui allegant; 4° de verbis quibus allegata constant; 5° de verbis quibus fit allegatio; 6° de sensu allegatorum; 7° de conjunctione plurium locorum; 8° de usu quo allegata adhibentur. — Ultimam quam KESSLERUS adducit caussam allegationum in V. F. simul addo propter ejus concinne et pulchre expressam sententiam, a posterioribus saepe repetitam. „Octava, inquit, excitatio ad studium conferendi inter se V. et N. T. libros. Evangelistae et Apostoli a V. F. nos in N. deducunt, ut in illo contemplemur figuram, in hoc corpus, in illo vaticinia in hoc complementa, in illo fundamenti positionem, in hoc positi explicationem.”

dis tractatum *Sanhedrin* et *Maccoth*, quam suscepit Cl. AMAMA auctore, applaudentibusque MATTHIA MARTINIO, DANIELE HEINSIO aliisque. COCCEJUS in laudata praefatione professus erat: „sed novum est quod molior, ostendere nempe cognitionem Talmudis Talmudicorumque Scriptorum ad N. T. illustrationem insignem lucem afferre.” Eodem anno, eodem *mense* (Aug. 1629) COCCEJI amicus PFOCHENIUS palam promisit, se in Diatribe de linguae Graecae N. T. puritate, „quam plurimis, qui vulgo finguntur, Hebraismis larvam detracturum.” — COCCEJUS et PFOCHENIUS, duo instar omnium, nos doceant quomodo inter aciei alas extremas universe certatum sit. Illa hebraeismos lynceis quaerens oculis ad scripta procurrit Judaeorum juniorum; ad antiquiorum Graecorum opera classica haec refugit, ut triumphans N. T. Graecitatis evincat puritatem. Quo vehementius agitur lis eo magis a media receditur via. Magna ex Talmudieis scriptis conferebatur messis locorum et sententiarum, quae quidem nonnunquam videntur jam ante Christi tempus inter Judaeos pervulgata fuisse, revera saepissime ex ipsis scriptis Christianorum desumpta sunt. Plura hujus rei afferri possent exempla, quod autem hujus loci non est, sed in disquisitionis parte secunda fusius indicabitur¹⁾.

COCCEJI agendi rationem secutus est JOHANNES LIGHTFOOTUS²⁾, qui chorographica anno 1658 praef-

1) Verissima sunt DE WETII verba (Bibl. Dogm. Edit. 3a p. 187): „Der unglücklichste Versuch ist wohl die Bedingungen der Bildung JESU in den Rabbinen, welche zum Theil das N. T. geplündert haben, aufzuweisen.”

2) JOH. LIGHTFOOTI horae Hebraicae et Talmudicae, scriptae 1658, a J. B. CARPZOVIO, Lipsiae editae anno 1675.

missa centuria, ejus operis p. 174 caussas exponit, quibus inductus se ad studia talmudica contulerit. „Sat sciens, ita auctor, et certus me cum infinitis et insuperabilibus fere difficultatibus collectaturum; ast omnes posthabens, atque obdurato proposito armatus, ut, si fieri posset, pleniorum ac reconditiorem styli ac dialecti N. T. notitiam ac sensum obtinerem et lucrarer.” Sane admirandum est et eruditissimi propositum obdutratum, et lucubrationum ejus eruditio, doctrina ac diligentia. Concinne in pag. 175 dicit auctor: „aeriores hostes quam istos (Talmudis scriptores) non habet doctrina Evangelica et tamen *planiiores interpretes* quam istos non habet textus Evangelii.” Brevius quam verius dictum. Odium magnum se sibi paraturum praevidit LIGHTFOOTUS, nihilominus a proposito non destitit, simulque integer et aequus operis conscripti exponit caussas. Non ita fecit noster popularis SURENHUSIUS. In praefatione ad סְפַר הַמִשּׁוֹה s. βιβλος καταλλαγης¹⁾ se, magnum et difficile hoc dicit suscepisse opus, nugatorio consilio, ut quosdam litigantes Judaeos ad Christum converteret. Aliam et, uti mihi videtur, ejusmodi studiorum multo planiorem caussam exponit in praefatione ad versionem Mischnae, ubi dicit.... „attamen illis (profanis Graecorum scriptoribus) bene multis perlectis, ipsa rerum experientia didicissem non tantos eorum fructus quantos quidem animo praeceperam; quia probatissimi quique scriptores Graeci tanto seculorum intervallo a N. T. au-

1) GUIL. SURENHUSIUS, סְפַר הַמִשּׁוֹה s. ΒΙΒΛΟΣ ΚΑΤΑΛΛΑΓΗΣ. Amstel.
1713.

ctoribus distabant, ut vocabula tantum, non autem integrae sententiae compositio et ipsius linguae genius convenirent, usque adeo, ut N. T. stylus ab ipsis veteribus Graecis (quod quidem cum grano salis intellectum velim) vix intelligeretur". — (Haec incriminatio, ab aliis saepius jam prolata, PROCHENIO, qui id asserit, diatribae de N. T. sermonis puritate conscribendae fuit auctrix). — „Missis ergo ad tempus Graecis, paullo post ita pergit SURENHUSIUS, ad Hebraica accessi..... (quae) me recta via ad V. T. intelligentiam ducebant..... et ad N. T. loca difficilliora lumen praebebant haud exiguum." Quod igitur haud exiguum omnibus perspicuum expromsit SURENHUSIUS in βίβλῳ καταλλαγῆς. Magnum hicce liber sequentibus Theologis praebuit lumen, num purum semper et parum obfuscatum hīc locus non est inquirendi. Ipse liber, qui agit de allegatis ex V. F. in N. F. inter se conciliandis, in quinque dividitur partes. *Prima* agit de *formulis* allegandi (pag. 1—36, undesexaginta Thesibus); *secunda* de modis *allegandi* (p. 37—56, viginti Thesibus); *tertia* de modis et formulis *interpretandi* (p. 57—88, viginti quinque Thesibus); *quarta* de modis explicandi *genealogias* (p. 89—112, Thesibus XXXV). In parte tandem *quinta* ipsa ex V. in N. F. allegata dicta explicantur ex legibus, quae ex Judaeorum scriptis confectae sunt. Talis SURENHUSII agendi methodus plane aequa vocari non meretur. Quid? quia CHRISTUS et Apostoli ex Judaeis orti sunt, num ideo eorum V.F. Scripta explicandi methodum secuti sunt? Quid tum dicendum esset de LUCA et MARCO, qui Judaeorum scripta quamquam certe non legerunt, attamen

iisdem utuntur non solum allegatis, sed etiam allegandi formulis? Postea vindicabimus parum valere fundamen-
tum, cui superstructa est SURENHUSII opinio: ex ipsa scil. allegandi formula dignosci posse, quare verba per eam allegata ita sint allegata, non aliter. Discrimen practerea inter **שנאמר** et **וכתיב**, quoad vim in verba sequentia, accipi non potest, et, fac ut quoad Judaeos id posset scriptores, nihilominus usu in N. F. obvio plane solveretur. Thesis secundae (libri primi) pars prior, continens explicationem formulae **לקים מה שנאמר** obloquitur parti ejus posteriori, cuius expositione ad usum concluditur formulae N. F. $\text{ην πληρωθή τὸ ἡγέν}$. Haec semper praecedit ipsa S. Codicis verba, aut eorum argumentum; illa, quod SURENHUSIUS saltem dicit, aliquam a Rabbinis e S. Codice effectam conclusionem. In Thesi tertia Hebraea formula quidem significat: „ad confirmandum id quod scriptum est,” sed *obedientia* legi *praestanda*; dum ea quae legitur Marc. XV:28 et SURENHUSIO priori similis esse videtur formula, indicat vaticinii impletionem. Illa loquitur de judicis officio ex lege judicium agendi, hacc de Dei consilio vaticinii alicujus implendi. Talis agendi ratio aliquatenus ipsorum spirat Judaeorum agendi rationem arbitrariam. In Thesi quarta ad formulam N. F. explicandam $\eta\gamma\rho\alpha\phi\eta\lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\iota$, SURENHUSIUS procurrit ad Majemonidem, seculi duodecimi scriptorem; quum autem ipse dixisset, se amotum a Graecis profanis, „quia tanto seculorum (sed quattuor tantum, nec vero sicut Majemonides XII) intervallo a N. T. Scriptoribus distabant.” In Thesi quinta formula allegandi **מעלה עלי הכתוב** *perperam* versa est. Non enim

significat „*In ipsum Scriptura consert, vel, ipsum Scriptura talem habet,*” sed in se contrahit (aliquis) Scripturam, potiusve *scriptum quod est (judicium)*. Quid, quaeso, haecce formula, versa in modum SURENHUSIUS, vis et efficacie potest habere in eo loco, quem ipse exemplo posuit ex PIRKÉ AVOTII III. 7. „Qui in via it et repetit secum Mischnajôth, (וּשׂוֹנָה) et cessat ab illa repetitione et dicit: quam pulchra est illa arbor! quam pulchrum hocce lumen! **מעלה עלי הבהיר** (quae vertatur nunc sicuti S. voluit!), aesi se capitis reum fecisset.” Comparetur practerea P. A. III. 8, ubi eadem legitur formula, neque ulla sequitur ex S. Codice dictio, sed eadem verba: „aesi se capitis reum fecisset.” Sic multos in locos pergere possemus, censoris autem partes in nos suscipere haud volumus nec possumus. Quac vero de SURENHUSIO indicavimus ideo erant necessaria, quia posteriores Sacri Codicis interpretes quam maxime ex eo pendent. Nullam post SURENHUSIUM talem videmus institutam disquisitionem, omnes fere in eo acquiescunt ejusque accipiunt laboris fructus, in legum formularumque formam redactos. Ejus opere Talmudisra bbinorumque scriptorum studium quam maxime promovebatur, et LIGHTFOOTI SURENHUSII-que videmus postea SCHOETTGENIUM¹⁾ gressibus inconsistentem in „Horis Hebraicis,” anno 1733 Dresdae et Lipsiae editis, qui multo adhuc juniores consuluit Scriptores Rabbinicos; multo autem uberiorem quam LIGHTFOOTUS saepe praebet messem, nec tamen

1) CHRIST. SCHOETTGENII Horae Hebraicae et Talmudicae, Dresdae et Lips. a° 1733.

sermonem Rabbinicum satis edoctus fuit¹⁾. Ipse dicit in praefationis § VI., se multum debere SURENHUSIO, et perquisitionem librorum talmudicorum utilissimam esse in re *allegationum* tractandarum.

Post SCHOETTGENIUM in Rabbinismi provincia ad usum N. F. populanda fere nil novi praestitum est. Ipse autem suo²⁾ lexico in N. T. suam hac de re opinionem pervulgatam fecit.

Ultima ut ita dicam aciei tacta erat ala, a centro longinas remota. Ultimae eae fuerunt certaminis sequelae, cuius altera acies pugnavit pro puritate linguae, qua conscripti erant N. F. libri, altera pro barbarismis ac

1) En exemplum ex multis ex improviso captum. Ad Matth. XX : 1. SCHOETTGENIUS adducit sententiam ex Tanch. fol. 3. 1, p. 165 : מְצִינָנוּ שַׁחַק בֶּעָשָׂה לְאַחֲרֹנִים בְּזָכָות הַרְאָשׁוֹנִים quod Deus ultimos ponat in loco (!) primorum, h. e. ultimos aestimet sicut primos." Quae autem ita vertenda sunt: Invenimus Sanctum, qui (sit) Benedictus, faciat posterioribus propter merita (insontiam) priorum. מְבָרֵךְ enim (in St. Emp. נְכֻוָתָה) est status constructus vocis (Dan. VI : 23), quae significat *insontia*. — Ad comma praecedens pag. 163 SCHOETTGENIUS ו secundum Rabbinos explicat per *ducentos* decem gradus; Rabbini numerabant *trecentos* decem in voce ו, — in eodem commate vertit, p. 162, אַחֲרָנָתָה per *hereditatem* (ut conveniat cum voce ἀληρονομία Mt. XIX : 29) nullo cum jure, nam tantum significat *possessio*, firma possessio. — Quomodo autem p. 156 מְסֻלֵּין veriat per „lassen sich aufsummieren,” haud intelligo. Verbum est a נְגַל et significat: Sibi acquirere in peculium.

2) Ne confundas SCHOETTGENII cum eo quod hodie pervulgatum est Lexicon, ex quo omnes fere ejecti sunt hebraicismi a novissimo auctore (?) M. G. L. SPOHR (1790); nec cum editione anni 1764 a KREBSIO curata, qui, (vehementior et tamen moderatior quam ipse Scriptor Hebraista, puritatem, Graecitati N. T. derogatam, sui temporis Latinitati integrum servatam voluit), multa jam ex Lexico SCHOETTGENIANO a° 1746 primum edito reliquerat aut mutaverat.

soloecismis, qui primo vocabantur, postremo hebraeismis defendendis. Victoriam sibi vindicaverant patroni hebraeismorum; sed pulchram ob victoriam exsultantes eaque nimis elati, cum peregrinis et advenis indigenas quoque ejecerunt ex provincia recuperata victores, non prae labore, prae nimia contra luce coeci. Hocce tempore in lucem prodierunt in primis ELSNERI (1720), WOLFII (1725), RAPHAELII (1750), ALBERTI (1755), KYPKII (1755) et KREBSII (1755) (quae ultimi partim quoque hue referenda sunt) in N. T. observationes, quibus quoad potuerunt, nonnullos, qui nati erant cives Graeci, hoc jus restitutum voluerunt vindicare. Sed frustra. Philologia sensim sensimque abierat Dogmatices in partes et hujus delicti severam in poenam, tota redacta est in Dogmatices dicionem, famula nunc et obsequens serva, quae olim fuit sua in regione legitima regina atque jubens imperatrix. Seculo decimo octavo ad dimidium vergente ea temporis fuit conditio, ut nobilis nomine critics rigidum venditarent dogmatismum. Prodierunt viri acutissimi VOGEL, OERTEL, BAHRTIUS, STEINBARTUS, TELLERUS¹⁾) omniumque illorum princeps SEMLERUS. Quem a prioribus relictum illi invenerunt apparatus philologicum et criticum suas ad rationes adhibuerunt mere dogmáticas.

1) Cf. J. HERINGAE Commentatio infra laudanda p. 62, 79 in notis, ubi STEINBARTI verba memorantur; p. 73 DAMMI judicium de IESU consilio traditur; de ceteris passim. — Vide quoque TELLERI Wörterbuch des N. T., Berol. 1785, Edit. 4a, ubi in Vorinnerungen zur dritten Auflage, p. 42—55 agitur de IESU Iudeo more docendi, sub titulo: „Lehrart Christi und der Apostel.” Cf. praeterea HERZOG, Realencycl. sub voce „Accommodation.”

§ 4.

*Disquisitionis argumenti historia a SEMLERO usque
ad nostram aetatem.*

WETSTENII opera edidit SEMLERUS, magnus prae-
primis vir, magna qui quoque in theologicis praestitit,
formularum qui rupit vincula et librorum quae iis im-
posita erant fregit sigilla, auctoritatisque fundamenta
infregit; omnino, sed humeris quoque qui stetit gene-
ris superiorum et quoad exegesin et quoad rem criticas.
SEMLERI fuit opus et laus disjecti membra poetac or-
dine digessisse. Magna majorum fuit hereditas, quae
SEMLERI usuvenit aetati. Non is autem fuit SEM-
LERUS, qui eam acciperet hereditatem, quam non dis-
poncret et perquireret, cuius non singulas partes et
particulas dissectas anxie et accurate excuteret et per-
scrutaretur. Partes autem seorsim seposuisse, singulas
penitus disquisivisse et pernovisse SEMLERI nondum suf-
fecit sagacitati. Ei erat pervestigandum, quomodo suam
quisque herus acquisiverit possessionem, qua ratione
eam congesserit, auxerit et stabiliverit. Ab ERASMO inde
usque ad stum tempus quae collata erat, si recenseret
materiem philologicam, in usum S. C. hermeneutices
nunc paratam, hancec quâ apportata erat inveniebat
viam. ERASMUS viderat N. F. Graecitatem a classica
profanorum longe recedere. *Unde illa exorta est di-
versitas?* rogitabant DRUSIUS, SCALIGER, GLASSIUS,
COCEJUS aliique; simulatque evolvebant libros Judaeo-
rum, responsio in promptu fuit: Scriptores fuerunt

Judei, qui versionem τῶν LXX et caetera scripta Judaica usu conterebant. Hinc illa umbra Judaica quae supra eorum scripta extensa est. — Sed a textu originali hic et illie illa versio nimis recedit, alto supercilio murmurabant nonnulli. *Se accommodarunt*, mox respondebatur, ad doctrinam Judaeorum. *Et jure se accommodarunt*, affirmabant SURENHUSIUS et SCHOETTGENIUS. Nunc autem SEMLERUS, idque jure, si quidem N. F. Scriptores ad tam humiles futillesque descendere potuerint machinationes, ut allicerent Judaeos, tum mediis respondeat finis necesse est. Praeterea homines sana ratione praediti, talem non sequerentur stultam interpretandi rationem, multo minus CHRISTUS ejusque primi asseclae. Facilis nunc fuit conclusio inde effecta: propter privum suum consilium JESUS et Evangelistae et Apostoli hac usi sunt disserendi methodo contra Judaeos perversos, quorum se accommodarunt stultiis et figmentis ut eos allicerent. En novam accommodationis, quae κατ' ἔξοχήν vocatur, inventam theoriam, ad JESU Apostolorumque ex V. F. allegationes in primis applicatam. Qua autem accepta omnia fluctabant, quae usquedum sancta putata sunt. Vertigo cuperat animos. REIMARUS sua conscripsit fragmenta istamque de JESU consilio fabellam. Exorti sunt HESSII¹⁾ et REINHARDI aliique, qui omnes contraxerunt suas vires ad hocce fidei propugnaculum defendendum. HESSIUS in primis id ostendit in vitae JESU expositione, cuius magnam partem dicat JESU rationi discendi et docendi ex V. F. Huc quoque referendi sunt commentationes auro

1) Vide ejus Anhang zu Lebensgeschichte JESU, p. 279—289.

coronatae J. HERINGAE¹⁾, OVERDORPII²⁾ et FOLMERTI³⁾. Litigantes ab utraque parte pugnarunt dogmatici ratione dogmatica; quia scilicet, quod quoque SEMLERUS ejusque fecerant socii, apparatum horum dierum, quem a majoribus acceperant, philologicum, servarunt intactum et, quod de IESU religione libenter credebant, de illo thesauro tute abscondito minime cogitabant: *eum majori perfectioni posse esse obnoxiam, aut saltem quadam indigere revisione.* Dogmatics opiniones philologiae ejusque anxie et caute circumspicientis sint fructus, nunquam autem sint traditionales. Istius autem temporis Exegesis plane fuit traditiva eaque ex fonte impuro profluua. --- Duo viri DOEPKICS et HARTMANNUS ad Judaeorum doctrinam recurrerunt fere eodem tempore, quo ab altera parte FRITZSCHIUS et WINERUS N. F. Graecitati legitima jura vindicare conati sunt. STEPHANO, BOECLERO, PASORI, ELSNERO, KYPERO aliisque, medium viam qui ingressi erant, se adjunxerunt hi; SUREN-

1) JOD. HERINGA: Verhandeling, ten betooge dat IESUS en zijne Apostelen zich doorgaans niet geschikt hebben naar de verkeerde denkbeelden van hunne tijdgenooten, in oper. Soc. Hag. 1789. Quod opus hacc in paragrapho conscribenda magno mihi fuit usui.

2) J. L. OVERDORP: Verhandeling behelzende eene opgave van regelen volgens welken uit het gebruik, 't welk IESUS en de Apostelen van verscheidene plaatsen des O. T. gemaakt hebben, de ware meening dier plaatsen bepaald wordt in opp. Soc. Hag. 1805. Praeter satis doctam literaturam multa hie liber praebet bona, sine ordine autem congesta. Ipse auctor suis dogmaticis rationibus nimis se tradidit.

3) L. B. FOLMER: Verhandeling behelzende eene aanwijzinge van eigenlijk genoemde voorstellingen des O. T., rlx. in opp. Societ. Hag. 1806. Eandem fere methodum doctus auctor secutus est quam nostro tempore J. CHR. K. HOFFMANNUS, in opere Weissagung und Erfüllung, Nördling. 1841.

HUSIO, SCHOETTGENIO illi se professi sunt addictos. Ut evitare possent astutum, quod JESU apostolisque tribendum esset consilium, novam illi proposuerunt sibi quaestionem solvendam hanc: *Num J. C. et N. F. Scriptores eadem qua Rabbini arte hermeneutica usi sunt?* Quam ad quaestionem ut apte responderetur, omnia fere, quae ad eum venerant, scripta de Talmude diligentissime excerptis excepit DOEPKIU¹). Non tantum nil novi commu-

1) Dr. J. CH. DOEPKE, Hermeneutik der neutestam. Schriftsteller, Lips. 1829, pars prior. Posterior pars in lucem non prodiit. Pag. 60—70 agit de citandi formulis apud Judaeos usitatis; p. 70—88, de forma citatorum externa et apud Judaeos et apud N. F. Scriptores; pag. 88—189 de allegorica interpretatione universc, de ejusque origine et usu inter Judaeos; p. 189—208 de citatis in N. T. universe, et a pag. 208 usque ad finem de citatis apud singulos N. T. Scriptores. — Memorabile indicium, DOEPKIUM mentem rabinorum haud cepisse inveniri potest p. 80, ubi legitur *ימות זכאי נאל ימות חייכ שמייחן רשות הנאה לחן' והגאה לעולם לעולם לזריקים רע לחן' ורע לעולם*
quae verba DOEPKIU^s vertit: Es sterbe lieber ein Unschuldiger, als dass ein Schuldiger nicht sterbe; denn der Tod der Gottlosen nützt ihnen selbst und der Welt, der Tod der Gerechten aber ist für sie und die Welt beklagenswerth!! Man lese diese schöne Stelle weiter und man wird sich unwillkührlich an Joh. XI: 50 erinnern! Utinam facias, docte lector! ut videas, quam „willkührlich“ ea dicta sint. In loco citato inter rabbinos disputatur de morte afficienda filio rebelli (Deut. XXI: 18—21). Scholasticorum autem more nunc rogatur, quo facto et quo tempore habendum sit *filius rebellis*. Responsio est, quando ejus coena constat *לייטראearnis et לוין vini*, definitio verborum סולל וסבא. Num tale quid dici potest morte dignum? objicitur quaestio. Nunc autem antecedens sequitur citatum, cuius sensus est: *Moriatur (filius) insons, ne moriatur reus, mors enim impiorum bona est iis et bona mundo; (mors) justorum mala est iis et mala mundo!* In priore enim caussa impius ipsa morte prohibetur peccatis suis et sibi et aliis damno esse; justus autem moriens sibi non potest augere meritorum thesauro, quibus omnibus prodest. Verba p. 129 descripta ex PIRKE A. I. 17

nicat sed vel ipse literarum rabbinicarum non satis fuit peritus, ut vel id posset praestare. De prioribus, imprimis de SURENIUSIO et WAHNERIO (I. 523-530), plane dependebat et quamvis quaedam combinandi sollertia ei abnegari haud possit, quamvis hie et illic molimenta sagaciter animadverterit, quae quominus ad finem rite perveniat impeditabant; tamen in vestigia redire non ausus est, neque unquam sibi proposuit quaestionem in se absolutam: Quid cogitarunt CHRISTUS ejusque discipuli de Sacris Libris? Quod neque HARTMANNUS¹⁾ fecit. Multa optima per se sed abs re aliena perdoctum contulit suum in librum de *arcta V. inter ac N.T. necessitudine*. Suturas patefacere, quibus duo panini conjuncti sunt, siquidem tale quid vocari mereatur arctam inter has res quae exsistat indigitare necessitudinem, HARTMANNI prorsus opus id praestitit. Ea falsa videtur opinio qua opinati sunt, JESUM ejusque discipulos, quippe ortos ex mediis Judaeis, non tantum horum necessario usos esse sermone et formulis

הַמְרָדֵשׁ הוּא הַקִּיר אֲלֹא מַעֲשָׂה
vertit DOEPKIU: „Ein allegorischer Midrasch ist nicht die Hauptache, sondern die That.“ Siquidem significet Interpretationem allegoricam, quid sibi volunt ista „allegorischer Midrasch?“ Sed hoc loco מְרָדֵשׁ (vid. HARTM. op. I. p. 535) significat universe doctrinam eamque oppositam מְשֻׁבֶּה = operi, sicut nostrates dieunt: geen leer, maar leven. Pag. 61, 157 vocula כָּנָר (jam) vertitur per „vielleicht.“ Pag. 183 בְּשָׁנִים חִיּוֹ vertitur per „sub cluibus!“

1) A. TH. HARTMANN, die enge Verbind. des A. Testam. mit dem Neuen, Hamb. 1831. Ditissimi operis multifarium communicare argumentum non possum. Sufficiant (duplici sensu) verba FLECKII op. I. pag. 298 hoc de libro: „Hauptschrift (mit sehr reichhaltigen, von seltener Belesenheit und grosser Literaturkenntniß zeugenden Collectaneen) ist A. TH. H. rlqq. — Fundgrube für Viele.“ Vide HARTMANNI de DOEPKIO judicium in op. I. pag. 54 in Nota.

vitae communibus, sed eorum quoque V. F. interpretandi methodum, i. e. Dei mundique notiones secutos esse. Num SCHLEIERMACHERUS ex mediis exsurgens Rationalistis ideo fuit Rationalista? Si quidem ea vera essent, quae priores voluerunt, per totum temporum decursum nullum novum potuit oriri systema, nulla a prioribus toto coelo distans doctrina! Quid JESUS ejusque discipuli cogitarint de Saeris Scriptis prius evincendum est, quam ad secundam transscatur quaestione: *Quomodo illorum cum aequalium cohaereat doctrina?* Prior illa nondum facta erat quaestio. Neque in operibus exegeticis, nostro editis seculo; neque in variis libris de doctrina JESU conscriptis, ne in ipsis quidem quae de consulto nostra de re institutae sunt disquisitiones. Legantur KUINOELII et PAULI Heidelbergensis, evolvantur RÜCKERTI quin MEYERI egregii commentarii¹⁾; quoad efficaciam, quam theologia Judaica habuerit in Christianismum, quoad primorum Christianorum S. S. interpretandi methodum Judaicam, fere omnes suam habent fixam opinionem, sed eam semper a Majoribus acceptam, non suis ipsorum inquisitionibus effectam. Parum emolumenti nostram ad quaestionem praebent opera, per se egregia et doctissima, BIALLOBLOTSKYI²⁾, BAUMGARTENI³⁾ et

1) Vide THOLUCKIUM in libro infra laudando, pag. 6.

2) De legis Mosaicae abrogatione scripsit CIRIL H. F. BIALLOBLOTZKY. Goett. 1824 (Commentatio auro coronata 1821). Cujus in primis tertiae partis alterum dimidium (p. 131—184) magni est momenti recensione opinionum de legis Mosaicae pretio Christianis habendo. A pag. 162—165 JESU ex V. F. citata recenset.

3) Doctrina JESU CHRISTI de lege Mosaica ex Oratione Montana hausta et exposita a M. BAUMGARTEN, Ber. 1838, hacce tessera: ὁ νόμος διὰ

wüsthii¹⁾ , qui omnes, ex disertis JESU dictis (BIALLOBLOTSKY practerea ex Apostolorum) efficere conati sunt, qualis JESU fuerit de lege Mosaica doctrina. Quoad ipsam formam ultimus videtur plurimum praestitisse; forsitan, quia quoad argumentum maximam partem secutus est BAUMGARTENI sibi novissimum librum; quoad formam discipulus fuit REUSSII, e cuius schola prodiit; satis practerea novae Theologiae Biblicae imbutus fuit principiis, ut, nisi rarissime, de JESU ejusque discipulorum effatis uno tenore idem efferret judicium. In ipsis illis libris de Theologia Biblica aut Dogmatica Biblica confectis, e. c. a DE WETTIO²⁾ et v. COELNIO³⁾, multa quidem inveniuntur bona, sed parum sufficientia. Commentationibus de vita JESU, NEANDRI⁴⁾ e. c. et

Μωϋσέως ἔρθη JOANNES; δὲ νόμος πνευματικὸς ἐστιν PAULUS. Commentationis sagacissimac tesserae plane respondet argumentum.

1) Essai sur la Doctrine de J. C. concernant le Mosaisme, Strassb. 1839. Aptiore sub forma eadem fere quae BAUMG. praebet. Quoad interpretationem Mt. V:17—20, OSCAR WÜSTHUS (pag. 82 suac dissertationis) aliquatenus recedit a BAUMGARTENO; caeterum maxime convenit cum REUSSI post hancce dissertationem edito opere: Histoire de la Théologie Chrétienne au siècle Apostolique, quod quoque eandem quam wüsthii liber in fronte habet tesseram Mt. V:17b. Cf. Vol. I. lib. II. Cap. III, IV, IX, X.; versionis, qua utor, Néerlandicae p. 149—154, 208—225.

2) DR. W. M. L. DE WETTE, Biblische Dogmatik A. und N. Testaments, Edit. 3a (qua utor). Ber. 1831. § 233, p. 208.

3) DR. D. G. VON CÖLNN, Biblische Theologie, Lips. 1836, plura habet nostro de argumento, sed nihilominus per pauca, in Vol. II. § 135 et 136. Vide ceteroquin de DE WETTIO et v. COELNIO REUSSI op. I. I. p. 20. De sparsis quae hic et illuc inveniuntur hac de re indicis separatim et nominatim agere pretium haud operae est. Vide DR. L. J. RÜCKERT, Theologie II. 112, Lips. 1851.

4) DR. AUG. NEANDER, das Leben Jesu Christi, Ber. 1837, (Edit. qua utor 5a 1852) p. 161—200 circiter, sed in primis p. 138—151.

HASII¹⁾ , insunt quidem singula capita , quae agunt de JESU ratione interpretandi Sacra Scripta. Nos autem vellemus fundamentum quoddam exegeticum , quale e. c. jam THOLUCKIUS incepit praebere singulare , in mantissa ad Epistol. ad Hebraeos. Novam prorsus ille iniit viam²⁾. Universe citationes ordine disponit hocce: vaticinia *directa* , *typica* , *allegationes* . Hac re differt a praecedentibus commentatoribus , a KOPPIO ad Epist. ad Rom. et STUARTO , ut , quod quidem hi fecerant , Rabbinicam explicationem et hermeneuticam artem non *ubique* in auxilium vocaverit. Speciatim agit de citationibus in Epist. ad Hebraeos; sed in typicis vaticiniis explicandis multa quoque disseruit de JESU ea allegante (p. 15—18 et passim). Vellemus expositionem qualem fere STIERIUS³⁾ jam ante THOLUCKIUM praebere conatus est , qui autem neque omnia JESU attulit ex V. F. allata , neque ea exponit quae attulit. Hoc etiam STIERII expositionis haud parvam nuncupo labem ,

1) Dr. KARL HASE , Leben Jesu , Ed. 3a. Lips. 1840 , p. 118—119.

2) Dr. A. THOLUCK , Das Alte Testament im Neuen Testament. (Zwei Beilagen zu dem Kommentare zum Briefe an die Hebräer). Hamb. 1836. Hujus argumenti historiae (p. 1—6) multum debeo. Cf. DE KOPPIO et STUARTO ejusdem libri p. 30.

3) Beiträge zur biblischer Theologie von RUDOLF STIER (Zweite Sammlung) Lips. 1828 , in quibus invenis a pag. 452—486: *Das Alte Test. im Neuen. Uebersichtstafel der Bestätigungen desselben.* In introductione agitur de Judaeorum de V. T. opinionibus (Mt. II: 5; Luk. I: 55, 70; Joh. I: 23, 46; II: 17) p. 453. Caput I continet JESU effata. A. de confirmatione S. S. universa , B. vaticiniorum , C. de Messia JESU predictorum , D. de JESU notione speciali. Cap. II. A. nulla impletionis relatione: 1^o lex MOSIS , 2^o reliqua MOSIS sermones et relationes; B. Impletionis relatione: 1^o de JOHANNE , 2^o de JESU persona ; 3^o de JESU aequalibus , 4^o in futurum ; p. 453—457.

quod quaestionem, quae vere est philologica, veste induerit dogmatico. Id pateat ex ejus citatorum divisione ad marginem addita. Hie et illic praeterea de JESU doctrina de V. F. audiebatur vox, sed clamantis in deserto et nimis suffocata duabus postea pervulgatis thesibus vociferantibus. Quarum altera, quae SEMLERI, TELLERIQUE spirat de N. F. judicium, ponit: *insci qui-dem, attamen singentes N. F. scriptores fixerunt historiam in modum V. F.*; altera autem, quae SURENHUSII, LIGHTFOOTI et SCHOETTGENII, DOEPKII et HARTMANNI redolet effata: *Nullam ex N. F. authenticum est scriptum, nisi quod plane Judaicam p[re]se ferat indolem*. Dogmatica regnabat ahenea et nomine criticis sacviebat destru-tiva. Num ea autem jure vocari potest critica, quae, placida ac dulci quiete aesi erat sepulta, divite majorum fruebatur hereditate? Nullum ex illo tempore invenitur indicium, quo conjicere possimus, viros doctos, philologica instituta disquisitione, ad ipsos fontes recurrisse, unde efficent, quid JESUS et N. F. Scriptores de V. F. universe cogitarint? Quod ex horum ipsorum agendi ratione evinci potest, nec vero ex aequalium aut priorum aut posteriorum methodo.

Quum omnia ita fluctuarent, Societas Teyleriana emisit vocem longe lateque auditam. Mali altissimas radices se invenisse, ipsa quaestionis jam forma ostenderunt Societatis praesides. Litem de auctoritate sacrorum librorum facile credo iis ansam dedisse huic quaestioni propondae; addita autem clausula¹⁾), ad philologiam relegarunt

1) Videatur Progr. TEYLERIANUM in annum 1845, ubi inter alia haec legere potes: In allen gevallen moet hetgene JESUS en de Apostelen ten aan-

viros doctos, qui ad quaestionem propositam respondere studeant. Magnos et saepius laetos hocce societatis conamen secum tulit fructus. Aliquot datae sunt responsiones, quarum nonnullas nunc legere nobis licet. In Germania prodierunt KOHLBRÜGGE¹⁾, STAHELINI²⁾ et LECHLERI³⁾ opera; ex nostratis FOCKENSIUS⁴⁾, SEPIUS⁵⁾ et MOUNIERUS⁶⁾ pretiosa praebuerunt dona. STIERII, quem jam memoravimus, librum KOHLRRÜGGE in operis formam ac divisionem magnam

zien van de H. S. des O. V. geleerd of aangewezen of ook ondersteld hebben, hoogst gewiktig geacht worden, ook bij meer uitsluitend letterkundige onderzoeken, aangaande de boeken des O. V., en bij eene verklaring van dezelve, die van het N. V. geheel onafhankelijk is.

1) Dr. H. J. KOHLBRÜGGE, *Wozu das alte Testament?* Elberf. 1846. Auctor ipse in praefatione dicit, quaestionem a Soc. Teyl. propositam suae scriptio ansam dedisse.

2) Dr. J. J. STAHELIN, *die messianische Weissagungen des Alten Testaments in ihrer Entstehung, Entwicklung und Ausbildung. Mit Berücksichtigung der hauptsächlichsten neutestamentlichen Citate*, Berolini 1847. In praef. dicit auctor: „Gegenwärtiges Werk verdankt sein Entstehen einem christlichen Bedürfnisse. Dem Bedürfnisse, zwischen den alttestamentlichen Weissagungen und der Benützung oder Citation derselben im N. T. einen organischen Zusammenhang nachzuweisen.“

3) Dr. C. V. LECHLER, *das Alte Testament in der Reden JESU*. Stud. und Krit. 1854, p. 787—851. Belgice versum a Plur. Vener. C. SCHWARTZ, Amst. 1855, et a D. V. C. in Bibliotheek van Buitenl. Godeleerdheid, 1857. Uterque interpres suas addidit animadversiones.

4) Dr. H. J. T. FOCKENS, *de H. S. des O. V. volgens JESUS en zijne Apostelen*, Amst. 1848. Ex ipsius auctoris testimonio (Praef. p. v) eadem quaestione supra dicta hoe opus est provocatum.

5) CHR. SEPP, *Onderzoek naar de leer des N. T. over de Heilige Schrift des O. Verbonds*, Amst. 1849. Commentatio apud Societ. Teyl. immissa haud coronata.

6) Dr. P. MOUNIER, *Disquisitio de locis nonnullis Euangeliorum in quibus V. T. libri ab JESU laudantur*, Amst. 1856.

exercuisse vim fere diceremus, quamvis quod hac in re illum non presse secutus sit ipsi certe damno non fuit. Qualis nunc est KOHLBRECHTII liber, talis plures et majores habet virtutes quam labes. Nonnulla licet contineat haud magni facienda, plura communicaat multo digniora. Duabus prioribus sectionibus tradit, (*ex ipso N. F. effectum*), quid Judaei JESU aequales de V. F. cogitarint; tertia autem exponit ipsius JESU de V. F. doctrinam (p. 55—84). Nec vero ubique, ut mihi saltem videtur, sana regit interpretatio. Praeterea JESU citata et formulae adscribuntur, quippe qui silentio ea praeterierit (p. 76). Totius denique libri consilium mere est dogmaticum, non philologicum. Historicum contra consilium videtur STAEHELINO menti obvoluisse in opere laudato conscribendo. Sed cum nostri temporis potius scientia ac philosophia, quam cum N. F. aetatis simplicitate ac pietate convenit historiae principium ac norma a STAEHELINO in Hermeneuticam N. F. Scriptorum applicata. Quod HENGSTENBERGIUS et HOFMANNUS ante eum voluerant, nunc conatus est STAEHELINUS efficere, indicare sc., necessitudinem inter N. ac V. Foedus, vaticiniorum ratione, extare necessitudine, quae interest inter processum alicujus rei ad ejus summum fastigium. Perpauci sunt loci ex V. F. in N. translati, qui a STAEHELINO laudantur¹⁾). De ipsis citatis in se spectatis habet

1) Cf. I. I. p. 15—17, 28—32, 40—42, 71—73, 108—109, 112—114, 138—140. — Quam constans sibi sit STAEHELINUS, pateat ex collatis iis, quae de voce *πόνος* dicit in p. 43 et 123. In priore eam vult explicare ex parallelismo (Jes. IV.) in posteriore contrariam significationem elicit ex notionibus temporis.

paucissima, de eorum forma externa fere nihil. Quatuor, quinque ad summum JESU enuntiata explicantur; sed ea omnia, ut videtur, fiunt, ut ipsi allati loci probent, expositionem τῆς προφετείας in Israele, ex mente STAHELINI effectam. Hie dici potest partim rediisse ad SURENHUSII hujusque sociorum, partim quoque ad SEMLERI sententias de usu V. F. in N. F. In p. 29 dicit: Psalmum XLV in Ep. ad Hebr. ideo tantum allegatum esse, quia de *quodam* loquitur rege. In eadem pag. dicit de JESU, Psalmum CX adhibente: „.... und (ich) halte dafür, der Heiland habe, weil einmal zu seiner Zeit diesen Psalm als von DAVID verfasst und zugleich für messianisch galt, denselben zum Vehikel benutzt, die Farisäer über seine höhere Würde zu belehren; wäre der Psalm nicht algemein auf den Messias bezogen worden, so hätte ihn der Heiland, auch wenn er, für seine Person, ihn für messianisch gehalten, gewiss nicht so angewandt.” Multo aliter... sed quid opus est addere censuris librorum FOCKENSII et SEPPII, quas cuivis legere licet. Uterque, quod jam monuimus, eidem obediverunt incitamento a Societate Teyleriana facto; sed suo quisque

1) Censori operis SEPPII (Godgel. Bijdr. 1850, p. 255—266) non consentio, dicenti p. 257: „Het is wel door SEPP gezien, dat hij begint met een onderzoek naar hetgeen volgens het N. V. de Heilige Schrift des O. V. was voor het Israël van 's Heeren tijd.” In censura laudata accuratus SEPPII disquisitionis invenitur conspectus. Cf. praeterea diarium Waarheid in Liefde, 1850, p. 545; gravissimum judicium invenitur in diario Haarl. Courant, Nov. 1845 et 1847. — FOCKENSII disquisitionis censura legitur in diariis Godgel. Bijdragen, 1849, p. 424—429 et Waarh. in Liefde, 1849, p. 933.

modo, moderno enim q. v. *hic* ideoque elegantiore, antiquiore *ille*, ferc scholastico sed multo solidiore. Ad hanc historiam mihi comparandam multaque alia magno SEPIUS, egregiis suis observationibus, mihi fuit auxilio; claro autem expositionis ordine, magna rerum copia FOCKENSIUS me allexit, qui quamvis Hebraei sermonis est peritissimus, nec tamen, aut fortassis eam ipsam ob caussam, de Judaeorum interpretandi ratione in antecessum egit. Quod quidem perdifficile opus in se suscepit elucubrandum doctissimus SEPIUS, qui autem, ceteroquin auctoritatis imperio vehementissimus adversarius, hac in re HARTMANNO et DOEPKIO totum se dedit regundum. Si animadvertisimus bona, quae doct. vir sua ipsius in provincia praestitit, suo operi id magno fuit damno. Quorum quis est imperitus ab iis se abstineat tradendis, ne quasi coecus cogatur tradere se ducibus, qui ipsi, sicut DOEPKIUS, ab antiquioribus auditा, parvo adhibito criterio, sua vice communicant. Non ita LECHLERUS. Primus est hic, qui de enuntiatis JESU de consulto egit. SEPIUS quoque magnam sui operis partem JESU dicavit doctrinae, sed quia haec totius erat pars. Quale autem LECHLERI est opus, tale jam dudum desideratum fuisse, ex duabus ejus efficitur versionibus, quae mox insecutae sunt Neerlandicae. Concinno ac perspicuo ordine procedit commentatio qua agitur, 1° de ipsis Sacris Libris quibus usus est JESUS, 2° de modo quo JESUS Sacris Scriptis universe utitur (sicut dicit LECHLERUS p. 792; ex sequentibus autem patet eum agere de Sacerorum Scriptorum durabilitate), 3° transit ad expositionem relationis JESU ad *legem*,

ad *historiam sacram, ad vaticinia.* Hanc JESU ipsius verbis nisam expositionem in fine sequuntur inde effectae theses: *Sacra Scriptura est verbum Dei; ejus centrum ipse JESUS; qui libere sed fide ea utilitur; talis (qualis LECHLERI) disquisitio et criticae utilissima est;* deinde JESU sermones cum PAULI comparantur doctrina et denique quaedam sequuntur verba admonitoria et aedificatoria. LECHLERUS universe dici potest ipsorum citatorum formam externam parum curasse, multo melius autem quam ejus antecessores rem pertractasse. Eum insecurus est nostra in patria MOUNIERUS in disquisitione supra memorata. Lectorem relegamus ad censuras, quae datae sunt de hoc egregio opere¹⁾). Paullo longius autem moremur in una harum censurarum. Doct. MOUNIERUS dixerat in dissertationes exordio: „*Quam rationem in laudanda scriptura JESUS sit secutus inquirere et de illa re peculiari libro exponere operae esse pretium*” (p. 1); deinde: „*Modum igitur V. T. laudandi et interpretandi, qui JESU proprius fuit, in nonnulli locis ab illo laudatis inquirere sibi visum esse*” (p. 3) et denique in fine ejusdem paginae: „*libere igitur, quo modo JESUS V. F. laudaverit et interpretatus sit inquiremus.*” Meis ipsius quam illis verbis nec melius neque accuratius exponere possem meam hac de re opinionem. Ita, non aliter, equidem opinatus eram agendum esse, ut JESU de V. F. efficere possemus

1) Cf. Waarh. in Liefde, 1857, 3. p. 564 sqq., ubi ejus accurate traditur argumentum et nova ipsius auctoris additur conclusio. Godgel. Bijdragen, 1857, p. 900 sqq. auctore Cl. A. D. LOMANNO, qui scriptorem parum laudat et satis carpit.

doctrinam. Quod quia rarissime actum erat, tam variae et mutabiles, sibi parum constantes communicatae sint hac de doctrina series opinionum. E contrario Cl. A. D. LOMANNUS voluit ut a MOUNIERO, antequam opus sibi sumpsisset elaborandum, ita esset inquisitum in gravissimas quaestiones de JESU *persona et opere*, ut earum ratio ei facta esset certa ac perspicua. Antea autem Cl. LOMANNUS dixerat: „Sed mere historica parum meretur vocari ea inquisitio, quamdiu Dogmaticis subjecta maneat quibuslibet opinionibus.” Quae verba meam hac de re confirmant opinionem, sed nullomodo cum priore LOMANNI judicio cohaerent. — Praeter memoratam in JESU personam et opus inquisitionem, cuilibet, hujus de V. F. doctrinam tractare studenti, quattuor difficultiniae objiciuntur quaestiones solvendae. Quoad *primam* responderi posset, tale quid non *ante* omnem sed *post* omnem disquisitionem effici posse, igitur postea quoque esse efficiendum. Quoad *secundam*: Ex ipsa id pateat disquisitione; quoad *tertiam*: tale quid est puero Herculis cothurnos adaptare et juvenem docere in verba Magistri jurare. Num quis posset indicare librum aliquem cui tradere me possem hac in re tanquam tuto duci¹⁾? *Tertia*

1) Novissimum, quod de rebus Judaicis editum est opus, supra jam attulimus. Doct. JOSTUS autem ab omni partium studio parum immunis est. De hoc opere fere dici potest quod FLECKIUS (op. I. p. 317) de ejus magna historia „Geschichte der Israel. von der Zeiten der Maccabäer bis auf unsere Tage.” Dicit enim: „Der Plan (ist) verdienstlich, die Ausführung öfter rhetorisirend und oberflächlich, besonders in den Citationen.” Hoc autem in primis habeo in opus JOSTI, quod agnoscit, quin extollit Judaismi in Christianismum *actionis* vim, *reactionis* autem hujus

illa quaestio ex praeoccupata fere oritur opinione: quodque, vel excelsissimum, ingenium aequalium terminis ligatum esse quamvis arctissimis, quos excedere non valet. Ad quartam a Cl. viro propositam quaestionem respondeo: inverso ordine agendum esse. Conmemor efficere, quatenus valcant vires, JESU efficere q. v. Hermeneuticam, qua inventa, ejus de Sacris Scriptis enuntiata explicare possimus. Tota quaestiones historia id saltem nos docuit, ex quaestione mere philologica sensim sensimque exortam esse dogmaticam, et sacpissime altera manu expulsam, altera reductam esse Dogmaticen. Quominus ad fructuosum finem adventum sit id magnum fuit impedimentum. Conditionem miserrimam Societatem Teylerianam vidimus voluisse auferri, ejusque conamina magno jam gavisa esse successu. Nostro tempore imprimis a MOUNIERO praecise atque apte propositam videmus, qualis rite est facienda, quaestionem: *Quid JESUS cogitavit de V. F.?*

in illum vim fere negat; quod idem jam ante fecerat, ubi sermo fuit de Graecismi vi in Judaismum. IOSTRI studium est ostendere, Judaismum ex se et per se id factum esse, quod nunc est, sine ulla aliarum religionum immixtione et ope. Ea omnia sunt vitia historica. In citatis autem sicut ipso in libro meliores partes Judaismi proponuntur, deteriores negliguntur et deprimuntur. Id imprimis valet de Rabbinorum vitis. Ceteroquin ab ipso IOSTRIO vellem scire: Num MILLEL, unus ex pauperissimis Rabbinis, postea autem summopere cœctus, non ideo putatus sit e familia DAVIDIS ortus esse, quia CHRISTUS vocabatur ὁ νίδης Δαυΐδος. Num Rabbini ipsi tot fecissent miracula, nisi quae opponi possent JESU magnis factis. Num P. A. I. 2. scriptum sit contra nimium Sacrorum Scriptorum studium, an vero contra tria gravissima Christianismi placita, ille dijudicet, qui in praecedente Commate aut traditionis tantum videt historiam, aut conatum, quo Christianismo jus existendi abnegaretur. — Quae diximus, quamquam hinc non facimus, ea facillime probari possunt.

Doctissimo viro tempus defuit omnes, qui hanc quae-
stionem tangunt, ordine tractandi locos. Bonum autem
materiae aggestum contulit, quem meum in usum ad-
hibere licet posteriori mihi, tractaturo „de doctrina
JESU CHRISTI de Sacris Scriptis V. F.” *Primo* inqui-
ramus in ea, quae a JESU ex Sacris Scriptis V. F. sint
allata, et quomodo ea allegarit, *porro* num justum ubique
de V. F. libris judicium protulerit; *denique* videamus,
quodnam illud ipsum sit judicium. *Tripartita* igitur fiat
nostra disquisitio. *Prima* pars agat de JESU CHRISTO
Sacris Scriptis V. F. utente; *secunda* de JESU ea inter-
pretante; *tertia* demum de JESU de iis doctrina.

PARS I.

DE JESU SACRIS SCRIPTIS V. F. UTENTE.

CAPUT I.

LOCI ALLATI, EORUM FORMAE ET FORMULAE
ALLEGANDI.

§ 1.

*Locorum citatorum recensio, qua pateat quibusnam
Sacrī Scriptis Jesus usus sit, et num Apo-
cryphi huc quoque referendi sint.*

Sacris Scriptis JESUM usum esse quum dicimus, eum, theologica usi formula, indicatum volumus codicem, unde multa dicta et enuntiata, suis sermonibus aut immixta, aut consilio proleta allegavit. Quisnam autem ille fuerit codex ex ipso, quem subjungemus, indice locorum a JESU citatorum aut memoratorum facillime pateat.

Gen. II. 24 = Mt. XIX. 4, Mc. X. 7.
 IV. 8 = Mt. XXIII. 34, Luc. XI. 51.
 VI. 3-5 = Mt. XXIV. 37, Luc. XVII. 26.
 VII. 7
 XIX. 14 } = Luk. XXVII. 26-28.
 IX. 6 = Mt. XXVI. 52.
 XIX. 24, 26 = Luc. XVII. 29, 32.
 XXVIII. 12 = Joh. I. 52.

Ex. III. 6 = Mt. XXII. 32, Mc. XII. 26, Luc. XX. 37.
 XV. 16 = Mt. XV. 4.
 XVI. 15 = Job. VI. 49, 58
 XX. 10 = Mt. XIX. 18.
 XX. 13 = Mt. XXII. 32, V. 21.
 XXI. 17 = Mt. XV. 4, Mc. VII. 10.

Lev. II. 13 = Mc. IX. 49.
 VIII. 31 = Mt. XII. 3.
 XIV. 2 = Mc. I. 44, Mt. VIII. 4, Luc. V. 14.
 XIV. 3-10 = Mt. V1II. 4.
 XIX. 12-17 = Mt. V. 33, XVIII. 15.
 XIX. 18 = Mt. V. 43, XXII. 39.
 XX. 9 = Mt. XV. 4.

Num. XXI. 9 = Joh. III. 14.
 XXVIII. 9 = Mt. XII. 15.
 XXX. 2 = Mt. V. 23.

Deut. V. 17 = Mt. V. 21.
 VI. 13 = Mt. IV. 10, Luc. IV. 8.
 VI. 16 = Mt. IV. 7, Luc. IV. 12.
 VIII. 4 = Mt. IV. 4, Luc. IV. 4.
 XIX. 15 = Mt. XVIII. 16, Joh. VIII. 17.
 XIX. 21 = Mt. V. 38.
 XXIV. 1 = Mt. V. 31, XIX. 8, Mc. X. 4, 5.

1 Sam. XXI. 6 = Mt. XII. 3, Mc. II. 25, Luc. VI. 3.

1 Reg. VIII. 29 = Mt. XXI. 13, Mc. XI. 17.

X. 1 = Mt. XII. 42, Luc. XI. 31.

XVII. 1 = Luc. IV. 25.

XIX. 20 = Marc. IX. 13.

2 Reg. I. 10 = Luc. IX. 55.

V. 14 = Luc. IV. 27.

Jes. II. 2, 3 = Mt. VIII. 11, Luc. XIII. 29.

V. = Mt. XXI. 33-39.

VI. 9, 10 = Mt. XIII. 14-15.

XIX. 13 = Mt. XV. 8.

XXXV. 5 = Mt. XI. 5.

LVI. 7 = Mt. XXI. 13.

LXI. 1 = Mt. XI. 5.

Jer. VII. 11 = Mt. XXI. 13, Mc. XI. 17, Luc. XIX. 46.

XXXI. 33 = Joh. VI. 45.

Ezech. XVII. 7 = Mt. XXV. 32.

XX. 38 = Mt. XXV. 37.

Hos. VI. 6 = Mt. IX. 13, XII. 7.

Joël II. 31 = Mt. XXIV. 29.

Jona I. 17 = Mt. XII. 40, XVI. 4, Luc. XI. 30.

Micha VII. 5-6 = Mt. X. 21, Luc. XII. 53.

Zach. IX. 9 = Luc. XIX. 30.

XIII. 7 = Mt. XXVI. 31, Mc. XIV. 27.

XIV. 5 = Mt. XXV. 31.

- Mal. I. 11 = Mt. VIII. 11, Luc. XIII. 29.
 II. 15 = Mt. XIX. 4.
 III. 1 = Mt. XI. 10, Luc. VII. 27.
 IV. 5 = Mt. XI. 14, XVII. 11, Mc. IX. 12, 13.
- Ps. II. 7 = Joh. V. 19-30.
 VIII. 3 = Mt. XXI. 16.
 XXII. 2 = Mt. XXVIII. 46.
 XXII. 7 = Mc. IX. 12.
 OX. 1 = XXVI. 64.
 CXVIII. 22 = Mt. XXI. 42.
 CXVIII. 26 = Mt. XXIII. 38.
 CXIX. 1 = Mt. XXII. 42.
- Dan. IX. 27 = Mt. XXIV. 15, Mc. XIII. 14.
 XII. 2 = Mt. XXIV. 37, Joh. V. 28.
 XII. 12 = Mt. XXIV. 13.

2 Chron. XXI. 21, 22 = Mt. XXIII. 35, Luc. XI. 15.

Ex quo indice quamvis videmus, JESUM non omnes, quos ad sacrum codicem V. F. referimus, libros allegasse, eum nihilominus eos omnes novisse tuto statuamus. Ex tribus enim majoribus patribus, in quas Judaei sacros suos libros dividunt, memoravit scriptores. Ipse citat sacrum codicem per formulam ὁ νόμος Μωϋσέως καὶ προφῆται καὶ φαλμοί, respondente judacorum תורה נבאים וכחובים (Luc. XXIV:44) et JESU SIRACIDIS (in prologo) et FLAVII JOSEPHI (C. Ap. I:8). In qua formula tertia pars vocatur φαλμοί, quia ab his τὰ γραφεῖα (כחובים) incipiunt et, sicut notum est, Judaei vel a primis librorum verbis ipsos libros denominant. Etiam usurpatur ὁ νόμος (Μωϋσέως) καὶ οἱ προφῆται (Mt. VII:12, XXII:40; Luc. XVI:16; hujus in loco parall. Mt. XI:13 legitur εἰ

προφῆται καὶ ὁ νόμος;), Μωσῆς καὶ οἱ προφῆται (Luc. XVI: 29, 31). Universe eos quoque appellat τὰς γραφάς (Mt. XXI: 42, Me. XIV: 49). Quum apud Synopticos ὁ νόμος¹⁾ per se dicitur, *ipsa lex* significatur, nec vero totum V. F.²⁾; οἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν indicant libros propheticos (Mt. XXVI: 56). Cacterum ηγραφή nunc sumitur pro toto sacro codice, nunc pro aliqua

1) Bene animadvertisendum est, apud MARCUM nusquam inveniri formulam νόμος, sed pro ea (quamquam *bis* tantum) Μωυσῆς. Apud JOHANNEM saepius offendimus vocem νόμος, quae ibi *quaterdecies* repetitur, *quinquies* autem ex ore IESU auditur (VII: 19, 23; VIII: 17, X: 24; XV: 25), qui ea *bis* utitur ad Psalmos indicandum (X: 34, XV: 25). Unum apud JOHANNEM formulam invenimus ὁ νόμος ὑπάρχει, quam ex eo explicari, quod IESU cum Iudeis litiganti horum in partem transeundum erat, ut maiore cum successu eos posset profligare, ideoque eum adhibuisse hanc formulam, non potest; quia Joh. XV: 25 legitur ὁ νόμος αὐτῶν, dictum a IESU accumbente cum discipulis. Num haec formula usus Judaeorum legi se opponere voluerit IESUS, exponendi hīc non est locus. Sed, quod postea fusius exponemus, nunc in antecessum ponimus: JOHANNEM sc. non *ipsa* IESU verba nobiscum communicasse minime est obliviscendum. Ipsius autem JOHANNIS duo habemus enuntiata, quibus talem fortassis explicare possimus usum, a Synopticis plane diversum. Videas Joh. I: 17 et IX: 28. Priore in loco JOHANNIS a parte dicitur: *legem* per MOSEN datam esse, *gratiam* et *veritatem* per CHRISTUM factam esse. His igitur oppositorum relatione IESUS et MOSES inter se invicem comparantur. Posteriore in loco Judaeorum a parte dicitur coeco nato a IESU servato (hominis regeniti typo): Tu (coece) es discipulus *istius* (tui *Servatoris*); nos (Judei) contra (*δε*) MOSIS sumus discipuli. JOHANNEM ex illis dicere scripsisse tempore, quo jam certi Christianos inter et Judaeos constituti erant fines et termini; quo partium diversarum diversae tesserae jam erant Lex et Evangelium; quo jam inter Christianos extiterant et illi, qui putabant, per legem transeundum esse ad Evangelium, et qui ad Judaeos jam erant trans fugac et qui cum Evangelio conjunctam cupiebant legem. Plura hac de re infra vide, ubi de IESU de V. F. doctrina agetur.

2) Vide WÜST. I. l. p. 24.

cjus parte¹⁾. Quod autem liber Chronicorum JESU tempore librorum Canonicorum fuerit ordine ultimus est verosimilius, nec tamen pro certo effici potest ex Luc. XI:51 — Mt. XXIII:35²⁾. Alia quaestio est, num Apocryphorum quoque libris JESUS usus sit suis in sermonibus. Plures similiores suae N. F. editioni WETSTENIUS adjecit ex libris Apocryphis locos parallelos. In libro supra memorato STIERIUS³⁾ colligit et ordine digessit ex N. F. ejusmodi 102 locos parallelos, quorum triginta circiter ad sermones JESU pertinent, quos hic subjunxi comparandos.

Jud. XVI. 7 = Mt. VIII. 12.

L. Sap. II. 24 = Joh. VIII. 44.

VI. 3 = Joh. XIX. 11.

VI. 19-20 = Joh. XV. 10.

IX. 16 = Joh. III. 12.

X. 10 = Joh. III. 3.

X. 7 = Luc. XVII. 32.

XV. 3 = Joh. XVII. 3, XXII. 29.

XV. 8 = Luc. XII. 20.

XVI. 6 = Joh. III. 14.

Tob. II. 2 = Luc. XIV. 12. Λ Τοβία, ουκ εγενήθη ἔριστον καλὸν αὐτῷ, φίλος δούλων πραceptum, βάδισον καὶ ἄγαγε δὲν εὑρῆς τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν εὐδεῖ. — Suum huic JESUS quasi opponit monitum: δταν ποιῆσαιστον μὴ Φάνει — τοὺς ἀδελφούς σου ἀλλὰ — πτωχούς.

1) Cf. CHR. SEPP, l. l. p. 69, et notam in margine ejusdem paginae de SCHULTHESSI sententia.

2) Videatur infra ad Part. I. Cap. II.

3) Cf. STIER, o. l. II. p. 486—519.

Tob. IV. 9-10¹⁾ = Mt. VI. 20, Luc. XVI. 9. Θέμα γὰρ ἀγαθόν
θησαυρίζεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης; — θησαυρίζετε
δὲ ὑμῖν θησαυρὸς ἐν οὐρᾷ. Mt. VI. 20; Ήνα δταν ἐκλεί-
πῃ Luc. XVI. 9.

IV. 15 = Mt. VII. 12. δὲ μισεῖς μηδενὶ ποιήσῃς.

XII. 20 = Joh. XVI. 5.

XIV. 4 = Mt. XXIII. 38.

XIV. 5 = Luc. XXI. 24. ἔως πληρωθῶσι καιροὶ τοῦ αἰώνος.

J. Sir. IV. 10 = Luc. VI. 35. καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου, in
mercedem beneficiorum. — καὶ ἔτεσθε υἱοὶ ὑψίστου.

VII. 14 = Mt. VI. 7. μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν προσευ-
χῇ σου.

IX. 6 = Luc. XV. 30. μὴ δῷς πόρναις τὴν ψυχήν
σου κ. τ. λ.

IX. 10 = Luc. V. 39. οἶνος νέος, φίλος νέος κ. τ. λ.

XI. 18, 19, 24-27 = Luc. XII. 16-21.

XIII. 17 = Mt. X. 16. λύκος ἐν ἀμνοῖς.

XXIV. 19 = Mt. XI. 28-30.

XXIV. 21 = Joh. VI. 35. Arctissimum oppositionis com-
mercium; in Sirachidis enim libro legitur: οἱ ἔσθιον-
τές με ἔτι πεινάσσουσι καὶ οἱ πίνοντές με ἔτι διψήσουσιν.

XXVIII. 2 = Mt. VI. 14, Mc. XI. 25. ἀφες ἀδίκημα τῷ
πλησίον σου καὶ τότε δειθέντος σου αἱ ἀμαρτίαι σου
λυθήσονται.

Bar. IV. 37 = Mt. VIII. 11.

1 Macc. III. 6 = Luc. XIII. 27. πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνο-
μίας.

III. 45 = Luc. XXI. 24.

2 Macc. V. 19 = Mc. II. 27.

1) Lapsu typothetae STIERII opus (p. 505) in hoc et mox sequentibus
locis citat Tob. II..

Ex dictis patet, ad quinque locos, ad Tob. II:2, IV. 8, 9, 15, Jes. Sir. XXIV:21, XXVIII:2, JESUM suis in sermonibus haud dubie respexisse. Excepto autem ultimo, fere omnes in ipsa JESU allegatione mutantur, eorumque indicatur parum bona ratio. LECHLERO et LUCKIO, qui contendunt, JESUM ad Apocryphos ne respexisse quidem, licet non consentiam, nec tamen cum STIERIO et BLEEKIO plane facere possum. *Ille* vel plures quam in indice indicavimus, *hic* duodecim saltem se invenisse putat ex Apocryphis locos, ad quos JESUS in suis sermonibus respexerit. Plurium, qui quidem in libris Apocryphis inveniuntur, locorum origo ex antiquioribus deduci potest V. F. scriptoribus. Quod quoque KEERLIUS voluisse mihi videtur¹⁾. Cacterum formulae loquendi, quae quidem a JESU adhibitae sunt modo codem, quo eas apud Apocryphos offendimus, nil probant, nisi aliter exprimi potuissent. Apocryphos autem, in eodem codice V. F. libris ad calcem adjunctos, JESUM novisse saepiusque legisse, nil est quod miremur. Lingua enim qua co tempore conscripti erant Graeca eum parum impedivit, quominus ea evolveret et legendo contereret. Dum HILGENFELDIUS l.l., accurata instituta disquisitione, palam professus est, se unum tantum toto in Evangelio Matthei invenisse locum ex V. F. Scriptis citatum, cuius indicari potest fundamentum, ex τοις LXX non desumptum; nos contra in locis a JESU citatis nullum ejusmodi potuimus animadvertere. Id vidimus: locos citatos nunc plane convenire cum textu Graeco, nunc magis minusve ab eo recedere; cuius discriminis ra-

1) In ejus libro die Apokryphen des A. T., p. 116.

tionem multi ante me viderunt et solvere conati sunt.
Quod quoque nos conemur.

§ 2.

*Locorum secundum diversam eorum externam
formam in classes disjunctio.*

Plurima ex V. F. in N. F. esse citata, eaque plerumque ex Graeca versione, primo quisque videt obtutu. Multa autem ab hac ita recedunt, ut ex textu originali translata esse fere videantur. Quod non ita esse postea videbimus. Majus minusve discriminem, quo discedant a τοῖς LXX, magnum interim sit adjumentum, ad plurimos illos locos ordine melius disponendos, nobis nunc ipsam citatorum formam (externam) animadventibus. Quattuor sunt classes:

I. Ubi citata τοὺς LXX presse sequuntur; (Mt. IV: 4, 7; V: 21, 38; IX: 13; XIII: 14 = Mc. VII: 12; Mt. XV: 4, XV: 8 — Mc. VII: 6; Mt. XIX: 5, XXI: 13, 16; XXI: 42 — Mc. XII: 10, 11; Mt. XXII: 32, 37, 39, 44 = Mc. XII: 26, 29, 36; Mt. XXII: 39; Luc. IV: 18; XX: 17, 37, 42, 44; Joh. X: 34; Luc. XXII: 37).

II. Ubi parva textus instituta est mutatio, rebus ac temporibus citantis debita aut adaptata; (Mt. IV: 10 (προτκυνήσεις, ubi LXX φοβηθήσῃ, Hebr. נִתְּנָה); Mt. V: 43 (?); XI: 10 (ad τῶν LXX verba addita sunt: πρὸ προσώπου σου, — κατασκευάσει legitur pro ἐπιβλέψει); XXVI: 31; Mc. IX: 49; Luc. VII: 22, 27; VIII: 10; X: 28; XXIII: 30; Joh. I: 52; V: 28; VI: 45, VIII: 17; XIII: 18, 34; XV: 15).

III. Ubi duo loci in unum sunt conjuncti, vel ubi argumentum tantum indicatur alicujus pericopes, aut versus totius contentum uno aut duobus datur verbis, (Mt. V:31, 33; XV:4; XXI:13 = Jer. VII:11; XXII:40; XXIII:34; XXIV:29; XXVI:64; Mc. IX:12, 13; X:27; Luc. X:28; X:42; XI:51; XIII:28; XIV:11; XIX:30; XXII:69; Joh. VII:38; VIII:44, 56).

IV. Huc referri possunt plurima, quae ex historia desumpta sunt exempla, (Luc. XI:50; Mt. XXIV:37 = Luc. XVII:26; Joh. VIII:37, 39, 56; V:45; VII:19; Mt. XIX:8; Joh. III:14, 15; VI:32).

Qui locos citatos inter se velit comparare, magnum quoad formam inter eos omnes animadvertiset discrimen. Quod autem unde explicandum sit non statim liquet; sed minime quidem ex modo citandi memoriter. JESUM enim ex memoria plerosque, nisi omnes, allegasse locos certo certius constat. Quod quoque patet ex ejus disputationibus, cum Phariseis habitis et Sadducaeis, quum ejus responsa statim insecurae sunt quaestiones adversariorum. Neque enim tale ad consilium sacri codicis magnum aliquod volumen evolvi potuit. In tentatoris malitiae rejicienda JESUM aliquem secum habuisse talem librum aequa minus licet conjicere. Majora enim illa erant volumina, quam quae tam facile semper secum portare potuisset. Ex memoria autem JESUM citavisse quamquam accipimus, quin cognitum habemus, nil tamen id nobis praebet ad propositam difficultatem commodius solvendam. In iis enim, quos nuper notavimus varios casus, quum certo certius memoriter citaret JESUS, attamen τὸν LXX fere presso secutus est.

Sed liberius citavit nonnunquam, et litteris ac singulis verbis se serviliter alligari in allegatione haud passus est. Eum memoriter, eum liberius citavisse, quum dicunt, quod nos ulti concedimus; eo autem nondum explicitum est, cur nunc liberius, mox, minus libere non dico, sed fere anxie, ut ita dicam, των; LXX allegarit JESUS. Qua in re si arbitrario egerit modo, hujus disquisitionis conamen frustra fieri et sua sponte irritum esse bene habeo perspectum. Ex omnibus autem, quae via historiae frequentia ad nos pervenerunt, de JESU agendi ratione testimoniis, satis tuto concludo, eum nihil fecisse arbitrarie. Alia est hujus rei quaerenda caussa. Animadverterunt viri docti, quantum in ipsis citatis invenitur discri men, tantum quoque nisi vel majus in *citandi formulis animadverti usus* discri men. Fortassis, ita illi, unum cum altero intime cohacret et se invicem explicare unum potest alterum. Haec fuit in primis agendi ratio SURENHUSII et nonnullorum, qui eum secuti sunt posteriorum.

§ 3.

Formulae citandi. Num ex iis diversitas formae explicari possit. Quod negatur.

Ex plurimis citandi formulis primum et saepissime simul adhibitum videmus γέγραπται, aut alias hujus verbi γράφειν formas. Ita in historia temptationis (Mt. IV : 4, 7, 10 = Luc. IV : 4, 8). Convenit aliquatenus cum Judacorum בְּחִינָה, nec vero, sicut BRETSCHNEIDERUS vult in lexico, ad *vaticinium* aliquod maxime respicit. Γέγραπται per se spectatum significat *scriptum est*,

sc. in Scriptis Sacris, nihil magis denotat. Ex contextu tantum aut sequente praepositione ἐπὶ vel περὶ effici potest, an ad vaticinium respiciatur nec ne. Quos jam attulimus id probent loci; praeterea Mt. XI:10 (περὶ τινος), XXI:13, XXVI:31, Mc. VII:6 (περὶ ὑμῶν ἐπροφήτευσεν), IX:12 (ἐπὶ), 13 (ἐπὶ) XIV:21 (περὶ); Luc. X:26, XIX:46, XX:17 (τι ἔστι τὸ γεγραμμένον); XXII:37 (τ. γ. δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοί.); Joh. VI:45; VIII:17; X:34; XV:25 (conjunctionem cum ἡνα πληρ.). Ex vices in omnibus illis locis repetito γέγραπται aut γεγραμμένον, decies de nullo agitur vaticinio; sed in ipsis locis, ubi vaticinium quoddam respicitur, septies, quod perspicuum est, ex ipso id explicandum est contextu, addita praepositione quadam aut alia formula. Non semper post notatam formulam γέγραπται aut τὸ γεγραμμένον ipsa ex versione τῶν LXX sequuntur verba, (e. e. Mt. XXVI:31, Mc. IX: 12 relq.), quamquam id saepius locum habet. Nil igitur ex usu vocis γέγραπται aut τὸ γεγρ. effici potest ad formam citati explicandam.

Idem valet de alia citandi formula ἐρέθη s. ἐρέθη (שְׁנָאָמֵר), quae cum formula τὸ ῥηθέν novies occurrit; prior sexies in Oratione q. d. Montana, posterior bis in Matthaeo (XXII:32, XXIV:15), semel in Marc. XIII:14, ubi DANIELIS allegantur verba, de quo loco autem infra plura sunt dicenda. Alias scriptorum sacrorum verba hac adducuntur formula, qua alias verborum multorum breve tantum datur summarium, quin nova adaugum sententia. Nil igitur ad formam alicujus loci explicandam ex mente citantis potest hujus formulae usus praebere. De formulis, quales sunt ἐμήνυσεν (Luc. XX:37), ἀναπληροῦται ἡ προφητεία (Mt. XIII:14),

quae semel tantum vel ad summum bis aut ter occur-
runt, quippe quae nil possint probare, nihil quoque
observavimus, nisi ad locum ipsum.

Pluries autem usurpatur verbum λέγειν, vel nude, vel
conunctim cum ἔντειλατο (Mt. XV : 4), ἐπροφήτευσεν
(XV : 7), vel cum alio quodam verbo. Unicum Johanneum
nisi excipias καθὼς εἶπεν (Joh. VII : 38), post
verbum λέγειν ipsa versionis Alex. sequuntur verba;
cf. Mt. XV : 49; XXII : 44; Mc. VII : 10; XII : 36;
Luc. XX : 42. Nec tamen certam inde efficere nobis
licet regulam, quia et post alias formulas fere semper
idem locum habet. Quod animadvertere nobis licet
in formula allegandi εἰπενειν vel εἰπενειτε εἰπενειτε;
quae decies occurrit in IESU sermonibus apud tres
Synopticos memoratis. (Mt. XII : 3, 5; XIX : 4;
XXI : 16, 42; XXII : 31; Mc. II : 25; XII : 10, 26;
Luc. VI : 3). Nonnunquam refertur ad *historica* facta
citata (DAVIDIS: Mt. XII : 3, 5; Luc. VI : 3); non-
nunquam ad ipsa quae in V. F. scripta sunt verba ac-
curate alleganda. Quae per hancce formulam allegantur
V. F. verba omnium sunt accuratissima et in adver-
sarios semper diriguntur. Nunquam vero cum discipulis
aut cum aliis, qui ex populo, ceteroquin ei infestissimo,
amicie cum quaerabant, ita locutus est IESUS. Inde,
ut mihi videtur, quod IESUS, cum adversariis loquens,
tam accurate semper citet sacra scripta, prorsus patet,
istos adversarios, sive Phariseos sive Sadduceeos
sive caeteros Judaeos, voluisse, eum qui cum iis ex
sacris scriptis disserat, accurate et quasi litteras pre-
mentem ea scripta allegare; quia et ipsi saerum codicem
tanti aestimabant, ut vel unum verbum, quin vel unam

eius literam posse excidere negarent. Ipsi Judaei igitur non citassent nisi anxie ad literam adstricti. Restat nobis formula ἦν πληρωθῆ de qua autem postea agetur. Praecedentia sua sponte nos jam duxerunt ad usum, quem sacrorum scriptorum JESUS fecit diversum.

§ 4.

De usu Sacrorum Scriptorum diverso.

Diverso ex usu explicetur formae diversitas.

Id nobis jam patuit post formulam allegandi οὐδε ἀνέγνωτε semper accurate sequi ipsa, quae in sacris scriptis, leguntur verba; plerumque minime, nonnunquam, pro temporis et quaestionis et usus ratione paululum mutata; sed ita, ut vel ipsa illa mutatione ipsa Sacrorum Scriptorum verba facta sunt multo clariora. Praeterea vidimus, hancce formulam a JESU unice adhibitam esse, quum ei cum adversariis certandum esset, qui verosimiliter ad literam plerumque allegare solebant; in usu igitur polemico. Ubi autem cum hominibus agendum erat, qui non ita, tamquam adversarii, ei erant oppositi, neque ille ipse sacrorum scriptorum literis tam serviliter se adhaesit. Pro diversis igitur casibus, (jam dicemus), in quibus sacris scriptis usus est, diverso quoque modo ea JESUS allegavit. Tales autem casus vel a JESU ipso vel ab ejus aequalibus provocari potuerunt. Ab his nunc coactus de sacris scriptis suam ipsius sententiam defendere veram, vel horum profligare opinionem erroneam; mox sua sponte, hominum amore et proprio animi motu misericordia incitatus, iis, qui eum sequi solebant vel undique ad

eum confluere, saera scripta exposuit et coram omnibus in eorum mentem alte absconditam animamque intimam penitus inquisivit. Hinc diversus exstitit apud JESUM sacrorum scriptorum usus, quem nos dicimus *Polemicum*, *Apologeticum s. paraeneticum* et *didacticum*, quibus denique accedit usus sacrorum scriptorum *communis*. Qui enim inde ab anno aetatis XII vel jam ante quodam libro fere quotidie utitur, quem usu terere pergit, eum illius libri mente, verbis ac sententiis non ita imbui, ut vel hujus libri dicendis formulis sua ipsius communicet cogitata, prorsus esset mirum.

Apud JESUM igitur non potuit non fieri, ut sacrae scripturae, toties lectae et perfectae, verba ac tota mens in sermonibus sua sponte prorumperet et se manifestaret. Sua sponte quasi inscius, certo sine aliquo definito consilio saepius sacrae scripturac verbis ac tropis usus est JESUS; eam vero usum dico *communem*. Diversis ita universc indicatis casibus, in quibus JESUS sacro codice usus est, speciatim nunc agamus de casibus illis singulis; eo autem consilio, ut prius de usu agamus provocato ab adversariis *polemico* atque *apologetico s. paraeneticoo*, quam de usu, a JESU ipso qui adhibebatur, *didactico* et *communi*. Huc simul addamus, inter usum polemicum et apologeticum hoc nos posuisse disserimen, ut *ille* referatur ad res generaliores, e. c. universe ad religionem hujusque singulas partes, nullo ipsius JESU respectu; *hic* spectet acque ad res religiosas, sed fere semper ipsius JESU relatione; sive disceptationes de iis exortae sint ex ejus agendi et loquendi ratione, sive ipse JESUS ad suam dignitatem et auctoritatem defendendam, confirmandam

et stabiliendam ad sacra scripta recurrerit. Unum locum citatum utriusque simul usus, polemici et apologetici, indicia nonnunquam p[ro]ae se ferre, nunc non est mirandum. Tali in casu locum citatum ad eum retulimus usum, qui aptior nobis visus est ad ipsum locum, cum contextu harmonice, explicandum; nisi unus alterve usus, sive polemicus p[ro]ae apologetico, sive apologeticus p[ro]ae polemico, nimis emicuerit.

C A P U T II.

U S U S P O L E M I C U S .

Multis nominibus polemicum usum ab apologetico seq[ue]ntri fere non posse quisque statim consentiet. Polemicum autem eum nuncupo usum, quo vel ad V. F. oeconomiam vel ad unam alteramve Sacrae Scripturae partem Messiam universe spectantem respicitur, nulla ip-

Mt. IX: 13. sius JESU habita ratione. Sic e. c. legimus Matth. IX: 13,
JESUM, usum formula זא ולמד¹⁾ (), remisisse Phariseos,

1) De hac formula cf. quae nuperrime addidit rostrus, I. I. p. II. 21. Nota 1. „Den Ausdruck: זא ולמד hielt ich ehemals für ein Zeichen heuristischer Lehrmethode, und Andere haben dies nachgeschrieben. Allein ich habe mich überzeugt, dass dies נט eine gewöhnliche Redensart war, die mit der Methode nichts zu thun hat.“ Cf. SUBENHUSIUS in I. I. p. 17, thesi XXVI et p. 225; SCHOETTGENIUS I. I. p. 94—96. Equidem dicrem, Judaeos hancce formulam vulgo adhibuisse, quando historicis

qui cum ἀμερτωλοῖς et τελώναις accumbere, ex sanctitate Judaeis lege praescripta, vero Judaeo non licere putabant. Omnis fida rituum observatio, ita illi, Deo est gratum sacrificium. Quomodo igitur tu, ita de JESU cogitant, quomodo tu, qui quidem διδάσκαλος es, Deo potes esse gratus, cum scelestis accumbens. Nunc JESUS respondet verbis ex Propheta HOSEAE: ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν¹⁾), ut iis indicaret, non tantum respiciendum esse ad Ps. I: 1, sed etiam ad alia Sacrorum Scriptorum effata. Simul autem sequentibus verbis suam ipsius defendit agendi rationem, hocce enuntiato allegato; quare HOSEAE dictum quum *apologeticum* in usum, tum in *polemicum* esse allatum jure dici potest.

Mt. XIX: 4. Ubi autem (sicut in Matt. XIX) de rebus divinis
Mc. X: 7. lis agitur, de legis interpretatione nullius hominis respectu, de rebus mere civilibus et theocraticis et JESUS Sacris Scriptis utitur ad adversarios profligandos, eum nuncupo usum *polemicum*. Ab hocce igitur loco, quippe qui nobis fuerit exemplo, ordiamur. Πιστεύοντες, diserto additur verbo, JESUM, num jure legis interpres vocari posset, eum adeunt Pharisaei eique quaestionem proponunt difficillimam, inter scholas Hillelis et

exemplis aliquid aliis probare aut sibi probatum vellent. Sic Judaei prius Paschatis festi Israëlis historiam memorant et sapientiū tum dicunt: לְמַתִּיר אֶת, e.c. quid quacsivit Laban Aramaeus etc.—SCHOETGENI exempla legi possunt apud DOERKIJUM l. l. p. 66 et 67, ubi dicit tales formulas adhiberi: quem ad locum aliquem ex Sacris Scriptis allegandum, tum ad historiam quandam. Dicit porro in re parabolica addi: לְמַתִּיר הַסְּכֵר רַוְמָה (wem (!) gleicht die Sache). Forsan, quia SURENHUUSIUS Lib. I. Th. XLIII. vertit: „Cui res haec similis est in parabola.” Cf. MOUNIER, l. l. p. 97.

1) P. MOUNIERO plane consentio, dicenti vim formulae τι ἐστιν; esse quid revera significant? Cf. l. l. p. 80.

Schammai, ut perhibetur, πολυθρυλλητόν. Num licet uxorem a se dimittere divortio? Sunt adversarii qui id rogitant, et ad literam iis respondet JESUS verbis, quae leguntur Gen. (I:27 et) II:24, qualia in versione Alexandrina et in Cod. Samarit. leguntur, additis vel istis oī δύο Χατάχις. Ἔνεκεν τούτου καταλείψει ἀνθρωπος τὸν πατέρα (αὐτοῦ) καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται (πρὸς τὴν) τὴν γυναῖκαν αὐτοῦ. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. MARCUS, quoad voces in parenthesi inclusas, accuratius sequitur versionem τῶν LXX, quam hodie cognitam habemus. Ex verbis allatis JESUS concludit: ὁ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν ἀνθρωπος μὴ χωριζέτω (XIX:6). — MOSES igitur mentitus est! illi objiciunt. Quid? quod ipse divortium praecepit (ἐντείλαστο). Permisit quidem (ἐπέτρεψεν), non quia ita oportuit, sed πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν¹⁾. Verba igitur allata, quod indicare nostrum fuit, per οὐδὲ ἀνέγνωτε in usum polemicum adhibita sunt, eaque accurate ex τοῖς LXX citata. Uno tenore sequantur loci per formulam eandem allegata.

Mt. XXI. 16. Asinae pullo insidens JESUS invexit sacram urbem et laetus jubilavit populus. Sacerdotes autem et scribæ, hac visa populi summa laetitia et clamoribus auditis, irati JESUM rogant: num id vides, audis et pateris? Omnino, est responsum, οὐδὲ ἀνέγνωτε (iterum eadem quac habet vers. Al. sequuntur verba) ὅτι ἐκ στόματος μηπλῶν καὶ θηλαξόντων κατηρτίσω αἶνον. Verba sunt desumpta ex Ps. VIII:3. Aquila vertit יְהִי per

1) De hujus loci interpretatione infra agetur. Universe benevolum lectorem ad omnium, hic qui recensentur, locorum expositionem infra dandam relegatum vellemus.

κράτος, quod fortassis non fecisset, si JESUS illo non usus esset verbo *αἴνου*.

Mt. XXI: 42. Alio tempore ipse JESUS ad peccati conscientiam atque
Mc. XII: 10. ad poenitentiam adversarios vult ducere; quo consilio
Luc. XX: 17. parabolam iis proponit, qua eos accuset prophetarum caedis. Tale facinus qui perpetrare auderent rejectione digni sunt, nec vero illi ipsi tales sunt scelerati. — Quare igitur et de quibus scriptum est hoc: οὗδε ἀνεγνωτε (legit τῶν LXX ipsius versionis ipsa verba) λίθον δὲ ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας παρὰ πυρὸν ἐγένετο αὕτη καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν δόφινοις ἡμῶν; est Psalmi CXVIII vers. 22.

Mt. XXII: 32. Cum Pharisaeis non tantum, cum Sadduceis etiam
Mc. XI: 26. JESU certandum erat. Hi negabant immortalitatem
Luc. XX: 37. animi, nec minus quam Pharisaei JESU proposuerunt quaestionem casuisticam. Οὗδε ἀνεγνωτε, ita nodum solvit JESUS, τὸ ἑπέρ τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λέγοντος — integrum praebet versionem Alex. Ex. III. 6 — Ἔγώ εἰμι ὁ Θεός Ἀβραὰμ καὶ ὁ Θεός Ισαὰκ καὶ ὁ Θεός Ιακώβ¹⁾. Hinc conclusionem format aptam ad omnia Sadducacorum molimina irrita facienda, et ex ipsis Sacris Scriptis vindicata est animi immortalitas; num jure id fa-

1) DOEPKIO (p. 229 o. p.) dicenti ad hunc locum: „diese Worte konnten nicht gut anders übertragen werden und man kann hier nicht bestimmen, ob sie aus der LXX genommen sind oder nicht?... non consentire possum ad priorem sententiae partem; quia 1º prius καὶ omitti potuit, ubi hebracus textus, copulativa caret; 2º quia, quod ipse addit DOEPKIUS verbis: „Marc. XII: 16 lässt das εἴη aus,” hoc verbum omitti potuit. Caeterum quum, uno aut duobus ad summum exceptis, omnes loci ex τοῖς LXX desumpti sint, non video quidni et hic factum sit.

ctum sit quaestio est nunc differenda, sed infra tractanda. Polemicum in usum qui allegati sint locos tantum recensere hic nostrum est.

Nonne mirum videtur apud MARCUM duobus posterioribus in relationibus eandem non tantum adhiberi formulam, sed ipsa etiam, eodem quo apud MATTHAEUM modo, sequi verba Mc. XII:10 et XII:26? Quum autem DAVIDIS esurientis inducitur historia ad legis mentem contra figmenta Rabbinorum indicandam et vindicandam, omnes ad unum Synoptici eadem illa citandi utuntur formula (Mt. XII:3; Mc. II:25; Luc. VI:5¹). Quod apud Synopticos eadem in relatione eadem non ubique inveniatur citandi formula *οὐδὲ ἀνέγνωτε* esse mirandum, ne quis objiciat; huic formulae enim quandam tribuere vim certam ac stabilem minime nostrum fuit consilium. Id tantum voluimus: in usu polemico, quod ceteroquin sua sponte est perspicuum, ipsa, eaque ex vers. Alex., accurate citantur verba. Animadvertisetur practerea, quam ample et prolixe DAVIDIS proponatur exemplum. Polemicus usus hac quidem formula nonnunquam, sed non semper indicatur. Quibuscunque, quae sunt multae

Mt. XII:3.
Mc. II:25.
Luc. VI:5.

1) Omnium accuratissimus, sicut vulgo in orationibus JESU tradendis, mihi videtur MATTHAEUS. Summa enim in angustia frangi posse legem de sacris rebus doceat DAVIDIS exemplum. Addito autem, quod unus MATTHAEUS habet, sacerdotum docemur exemplo, et Sabbatum solvi posse, quod hoc loco totius quaestionis est cardo. Aliud Marcus II:27 addit argumentum, quo ad antiquissimam historiam recurrisse JESUM patet. Nostrae disquisitionis ordinem ne praeripiamus, postea hac de re agemus; nunc ad EWALDUM, (Geschichte Christus' und seiner zeit, Goett. 1855; Vol. V. operis: Geschichte des volkes Israel bis Christus, p. 205), qui omnium Evangelistarum antiquissimum ducit MARCUM, interea lectorem relegamus.

ac diversae, formulis verba allegantur; polemicum in usum quum allegantur, ipsa τῶν LXX sunt verba. Hoc volui indicare, quod ad demonstrandum caetera nunc sequantur exempla. Locos, in Marco et Luca cum Matthaci parallelos, repetere non opus videtur; legantur hīc Mc. X : 7, Luc. XX : 17 (*τί ἔστι τὸ γεγραμμένον, ubi apud priores οὐδὲ ἀνέγνωτε*), Luc. XX : 37 (Μωϋσῆς ἐμήνυσεν).

Matthaeus, quamquam a versione Alex. eum dicunt omnium saepissime recessisse, in citatis, JESUS sermonibus quae insunt, certe omnium est accuratissimus, sicut in omnibus quae tangent τὰ λόγια. Multa *Mt. XV:8.* adsunt exempla. Phariseis eum adeuntibus cumque *Mc. VII:6.* accusantibus spreti cultus divini haecce respondet JESUS JESAIAE verbis (Jes. XXIX : 13, 14), e LXX citatis¹⁾: καλῶς ἐπροφήτευσεν περὶ ὑμῶν Ἡσαΐας λέγων· ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσιν με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμου· Μάτην δὲ σέβουται με διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων²⁾). Idem quidem habet

1) Sequimur Codd. BDL, ceterosque a TISCHENDORPH relatos. Non sit supervacaneum hoc addere, quod sequente statim exemplo probabitur: JESUM nunquam plura, quam quae ei ad summum opus erant, allegasse verba.

2) Fuerunt et sunt qui, sicut fere ubique, hīc quoque tentarent, Hebraeum inter textū ac vers. Alex., vel in discrepantiis, quandam efficere convenientiam. Inprimis illud μάτην odiosum est in versione, quippe quod absit in textu originali. Ingeniose legere voluerunt pro מִתְּהֵר et fuit מִתְּהֵר el inane (cf. GROTIUS ad locum) aut מִתְּהֵר a Rad. מִתְּהֵר (inanis fuit), (vid. PAULUS Heid. ad locum). Nos quidem nullo modo hocce gravissimum opus aggredi ausi sumus, omnes sc., Hebraeum textū inter ac versionem Alex. quae exstant, solvere discrepanrias et ita inter se invicem reconciliare, ut plane evanescant. Omnia,

Me. in loco parallelo VII:6; sed vulgo in JESU ipsa verba allegando accuratior mihi videtur Matthaeus quam Marcus. Hic (XI:17) ad verba relata Matt. XXI:13 et Luc. XIX:46 ὁ οἶκος μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται addit, quac in Jes. LVI:7 addita inveniuntur verba: πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν, quae a re, qua JESUS motus erat ut iis uteretur verbis, prorsus sunt alienissima. In usu polemico, id bene animadversum velimus, nulla hic potest esse quaestio, *quot* verba citaverit JESUS, sed *num* *presse* ea allegaverit. — De JOHANNE hoc loco sermo esse non potest, quia, sicut vulgo, hoc quoque in casu suis ipsius verbis JESU reddit mentem. Cf. Joh. II:16. — Melius cum MATHAEO et LUCA convenit MARCUS in JESU verbis referendis ex Ps. CX allegatis et in Phariseos actis.

Mt. XXII:44. Mc. XII:36. Luc. XX:42, 43. Πῶς οὖν Δαυεὶδ ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ. Εἴπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου· κάθου εκ δεξιῶν μου ἕως ἂν θῶ τοὺς ἔχθρους σου ὑποπόδιον (ὑποκάτω) τῶν ποδῶν σου. Vide locos parallelos Mt. XXII:44, Mc. XII:36, Luc. XX:42, 43. In formula autem citandi apud Synopticos aliquantum est discriminis, qua in re a Matthei parte iterum stare jus contendeo. Hic enim dicit πῶς οὖν Δαυεὶδ ἐν πνεύματι . . . καλεῖ, pro quibus ἐν πνεύματι Mc. habet

quac sunt multa atque varia, vel originalis textus ope corrigendi errata, quae insint versioni, vel ex ipsa versione Hebraeum textum emendandi, usquedum irrita fuisse dici possunt talia conainina. — Quod in fine sententiac et MATHAEUS et MARCUS eundem verborum tuiti sunt ordinem mihi est indicio, eodem ordine haecce verba olim fuisse scripta in versione Alex. Cf. MOUNIER. l. l. p. 99. — Qui plura hac de re scire velit, adeat GROTIUM et PAULUM supra laudatos; quoad me equidem dicere, τοῦς LXX sapientes esse potius παραφραστὰς quam interpretes.

ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἀγίῳ, quae contra Lucas plane omittit. Ex lectione Matthaci oriri posse Marciana verosimile est. De hocce autem discrimine hīc fusius agere nolumus; allatis ex exemplis si iterum patuerit, JESUM polemicum in usum presse secutum esse τοὺς LXX, id nobis sufficiat¹⁾.

Joh. X : 34. Apologeticum quamquam partim pertinet ad usum quod in Joh. X : 34 affertur IESU enuntiatum, id tamen hue non possumus non referre. Judaei IESUM accusant, quod se fecisset Deum, i. e. sibi Dei nomen adscivisset, quod homini non licet. In lege (Ps. LXXXII : 6) gravissimum est argumentum contra vestram opinionem, statuentium, homini non licere vocari Deo, ita arguit IESUS; nam οὐκ ἔστιν γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν· δτι ἐγώ εἰπα Θεοί ἔστε; ²⁾ Vos autem, ita IESUS, me accusatis criminis, quia me ipse Dei Filium vocavi. Missum faciamus me, sed quaerendum est: num homo possit vocari Deus nec ne. Quodsi potest, Sacra Scriptura salva manet; sin minus abjudicanda. Sed eo progredi IESUS iis minime permisit. Vos utimini frequentissime lege eaque pro sacra; illa ipsa Sacra Scriptura quosdam alloquitur tanquam Deos; igitur vel licet hominem vocare Deum, vel non licet uti τῷ νόμῳ, qui tale quid perpetravit. Posterius pa-

1) Dubii sumus, quam lectionem in Matth. praferamus, num verbum ὑποπόδιον an vero ὑποκάτω. Pro utroque gravissimi exstant testes. Lucas cum τοὺς LXX habet ὑποπόδιον (Ps. CX in Cod. B periit). In Marco certe praferrem lectionem ὑποπόδιον. Non magnum vero facit discriminem. — De art. δ ante κύριος confer. TRISCHENDORTIUS. — Cacterum ὑποπόδιον plane convenit cum חֲרוֹם, quod verbum in textū Hebraeo legitur.

2) Cf. DOERKIJUS l. l. p. 243: „Ebenso die LXX, aber wie liess sich ανί απράτι αλλήις αττμ̄ umsetzen?“ Per: ἐγώ εἶπα θεοί (ἔστε) ὑμεῖς; vel omissis pronominibus.

rum relinquitur Israelitis dijudicandum; nam uno tenore additur: *καὶ (εἰ) ἡ γραφὴ οὐ δύναται λαθῆναι.* Concluditur: licet hominem vocare Deum, igitur et me, quem
 Mt. IV: 4. esse merum hominem vos certe putatis¹⁾). Majore cum
 Lue. IV: 4. jure hue certe pertinet diaboli temptationis historia²⁾. Tentaminibus tribus unum hoc JESUS semper opposuit gravissimum *γέγραπται*. Quum tentator ad miraculum edendum instigaret JESUM, scil. ut esuriens in panes sibi commutaret lapides, hic respondit: *γέγραπται* (Deut. VIII: 4) *οὐκ ἐπ' ἀρτῷ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος,*
*ἀλλὰ ἐν παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ*³⁾.

1) A. KESSLER, § LIV (in Synt. RHENF. p. 585): „quando dictum V. F. inquit, ad dogma aliquod probandum in N. T. allegatur, interdum est ipsa conclusio, interdum enuntiationem inferentem suppeditat.“ Inter exempla ibi allata etiam invenitur Joh. X: 34. Conclusio quam doctissimus vir h̄c videt est: „Si magistratus recte dicuntar Dii sine blasphemia, multo magis sine blasphemia CHRISTUS dici poterit filius Dei. Prius est ergo et posterius.“ Talis autem argumentatio, quamquam bona per se, nil valuisse contra Phariseos, quippe qui praefracte negarint, JESUM esse τὸν Χριστὸν. Siquidem JESUM duxissent τὸν Χριστὸν, dicti erimini prorsus cum non accusassent; nunc autem ei, qui sicut alii homines, iis mere fuit homo, tale quid non licuit. Quaestio igitur sicut jam diximus hac redit: Num praeter Deum aliquis vocari posset Deus nec ne? — EWALDUS (V. 204): „Niemand bis jetzt fand darin (in V. F.) das ewige und rein göttliche, ohne von der glänzenden luftspiegelung der undeutung (Allegorie) verlockt und getäuscht zu werden, so tief und wusste es überall so treffend anzuwenden als er“ (J. C.). In margine p. 205 adduntur: die falle Matth. IX: 13... Joh. X: 34—36 können als beispiele hinreichen; und nun auf solche einzelne beispiele kann es hier ankommen.“ — De significatione verborum *ἡ γραφὴ — λογία* vid. KYPRIUM o. l. I. 388.

2) MATTHAEI relationis, quam totam accipio et credo, ne quis a me hie expostulet expositionem et confirmationem.

3) Jam animadvertisimus JESUM vulgo verba allegare sufficientia nec

Sed JESUM, tam firmiter Sacrorum Scriptorum nisum effatis iisque pro armis usum, ex ipso illo Sacrorum Scriptorum verbo devincere conatus est Satanus. Abjice te κάτω (ἀπὸ τοῦ πτερυγίου τοῦ ἱεροῦ), sollicitatoris audit verbum; γέγραπται γὰρ δὲ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σου καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσιν σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λύσιν τὸν πόδα σου. (Ad literam Ps. XCI:11 ex τοῖς LXX, omissis autem verbis τοῦ Φυλάξαι σε ἐν πασαῖς ὁδοῖς σου¹), quae verba Diaboli ad consilium adaptari non potuerunt). Sed JESUS, πάλιν γέγραπται, retorquet, οὐκ έκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου²). Nee tamen destitit

Mt. IV:7.

Lnc. IV:12.

plara. Hic negilit verba postrema ζησεται ὁ ἄνθρωπος. DOEPKIU斯 dicit: „Indess konnten diese einfachen Worte schwerlich... anders übertragen werde.” MOUNIER I. I. p. 1—34 revera contrarium probat. Neque illa verba tam simplicia esse docent nos Commentarii.

2) Lnc. (IV: 10) addit verba, quae diximus a Mattheo neglecta esse. Jure addit DOEPK. (I. I. 213) „wie er (LUCAS) häufig die Stellen in einer grössern Ausdehnung citirt, als die übrigen Evangelisten.”

3) Illud πάλιν γέγραπται per יְהִי רָуַר rursum (practerea) *scriptum est* vel הֵא כֹה יְהִי utique (en) *scriptum est* explicat SURENHUSIUS, dicens (conciliationum p. 212 et Thesi XV. p. 11) hance usurpari formulam, quando ex primo loco allegato veritas nondum satis probata est, verum ex commate sequenti, vel ex ejus alio quodam loco confirmari debet. Equidem potius dicerem πάλιν hic respondere formulae בְּכֶר נָאכֶר (jam dictum est), cuius vis est, ut quodam enuntiatio alio, in Scriptura Saera praecedente aut sequente, infringitur adversarii ex eadem Scriptura allata sententia. Cf. Sanhedrin fol. 106. Ubi ELIËSER et JOSUA inter se certant de Messiae adventu et locis ab ELIËSER allatis Mal. III:7, Jes. XXXI:15, Jer. IV:1; a JOSUA opponuntur Jes. III:3, Jer. III:14, Jes. XIX:7, Dan. XII:7. Ex illis locis simul offici potest, SURENHUSIUM errasse thesi prima conscribens, post שְׁנָאכֶר textum sacrum non verbo tenus, sed illius sensum allegari, quod c. SEPIUS ex N. F. usu jam animadvertisit cf. op. I. p. 92. De loco autem ex Talmude citato videatur JOST. I. I. II. 44—45, ut simul judicetur, quomodo JOSTIUS locos saepius torqueat et vexet.

tentator, sed omnia JESU obtulit regna et regimina pro una tantum honoris vel umbra speciosa. Tertio sacra scripta JESU secutum est, sed etiam tela; tertio
 Mt. IV:10. grave illud auditur ac solenne γέγραπται. Κύριον τὸν
 Lue. IV:8. Θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρέυσεις. Duo posteriora JESU effata ex eodem desumpta sunt Deut. Cap. VI:16 et 13, caeterum, sicut praecedens, etiam haec fide secuta sunt versionem Alex. Tertio autem JESU in effato primum occupamus casum, ubi, certam quandam ob caussam, textus τῶν LXX a JESU in allegatione aliquatenus mutatus est. Recte verterunt illi Deut. VI:13 Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθῆση (C. Alex. habet προσκυνήσεις, falso), cum Hebraeo legentes **את יה אלהך תירא**; sed quod MEYERUS recte animadvertisit ad locum: illud προσκυνήσεις respicit ad verba diaboli in eommate praecedente. Quod nec Matthaeus nec Lucas hancce textus τῶν LXX mutationem correxerit, sed uterque aequo habeat προσκυνήσεις pro φοβηθῆση, evidenti est indicio, JESUM ita locutum esse; nisi accipiamus, LUCAM hīc MATTHAEUM secutum esse, quod autem minime patet, quoniam ex aliis ab utroque citatis inter se comparatis, tam ex ordine narrationis apud utrumque diverso. LUCAS omittit in loco parallelo IV:4 verba ἐκπρεπεύμενω διά, quae habet Mt. IV:4. Caeterum, ut mihi videtur, quam LUCAS accuratius tradit MATTHAEUS simplicem ac integrum narrationis ordinem concinnum nec non continuum.

Ad res religiosas igitur demonstrandas, vindicandas et ab erroneis opinionibus integrā atque immunē servandas, ad Sacra Scripta hucusque vidimus JESUM fere semper aufugientem, semel tantum ad ejus

historiam. Quas ad res religiosas referri possent doctrina de Deo, de legis pretio, de Messia, de ipso Dei cultu, de immortalitate animi et plus minusve de Sabbatho, sicut etiam de rebus civilibus, quae in civitate, qualis Judaeorum erat, theocratica cum lege divina, unde suam repetunt originem, arctissime sunt coniunctae. Versione Alexandrina eaque κατὰ πόδα JESUS his in casibus usum esse vidimus. Ejusmodi citationes apud JOHANNEM non ita frequenter inveniuntur. Nec mirum. Synopticorum, qui JESUM tanquam CHRISTUM nobis tradiderunt, ordine inverso agit JOHANNES, nobis indicans JESUM revera fuisse et esse CHRISTUM, eumque θεάνθρωπον. JOHANNES praeterea JESUM fere semper inducit cum Judaeis certantem atque litigantem, non de Messia universe, sed quatenus ille manifestatus sit in JESU persona, vita et operibus. Ad adversarios convincendos, qui JESU derogent dignitatem atque auctoritatem, conscriptum est JOHANNEUM evangelium; ut fidis JESU asseclis arma pararet, quibus se contra adversarios defenderent, non ut hos alliceret et ad JESUM converteret, suum eximium Evangelium conscripsit JOHANNES. *Apologetica* plane JOHANNIS Evangelii conscribendi est ratio, quae ubique eminet et tempus confectionis indicat quam synopticorum posterius, quo scilicet ex ipsorum Christianorum gremio jam exorti erant doctrinae verae parum fidi homines, variae partes et malevolae et maleficae¹⁾.

1) Cf. SCHOTT, Isagoge p. 141; SEIFFARTH, Special Charakteristik, 1824, p. 39; DE WETTE, Comm. (in Johannem) Ed. 3^a, praef. p. 2; LÜCKE in Joh. I. p. 217, Ed. 2^a; THIERSCH, Kritik, p. 264; L. LANGE, Bei-

C A P U T III.

U S U S A P O L O G E T I C U S . P A R A E N E T I C U S .

Hactenus exempla protulimus, quae Phariseos de rebus religiosis JESUM aggressos esse docerent, hunc vero ad eos profligandos resque divinas vindicandas ad Sacra Scripta semper recurrisse, cuius, unius veritatis fontis, versionem Alexandrinam tali in casu adhibuit. Ubi autem *de se ipso vel suo praecessore Johanne, sanctissimae voluntatis divinæ respectu*, ei erat agendum, eadem quidem usus est Sacra Scriptura, sed tam anxie *νατὰ πόδα*, quam in usu polemico, id non fecit in usu apologetico. Hic coram adversariis inquirentibus, coram discipulis illie, multis coram populi turbis alibi se ipse suamque agendi rationem defendebat JESUS, sed tum quoque ad Sacra Scripta fere semper recurrens. Nonnunquam suum in usum ad sacram provocavit historiam. Novum est, ut ita dicam, quod JESUS tali modo posuit argumentandi fundamentum. Praematurum nisi esset talen sententiam jam hic efferre, fere diceremus, sua ex gente JESUM inter Israëlitas primum fuisse, qui historiae

träge etc. p. 124. — LUTTHARDTUS autem op. I.I. p. 229: „Nicht gegen unvollständigen Glauben also, sondern gegen Unglauben müssten wir es (Evang. Joh.) gerichtet nennen.” Qui etiam monet, THIERSCHIUM novissimo in libro (die Kirche in Apost. Zeitalter, p. 265—267) priorem uuper landataam sententiam postea valde mutavisse.

quasi jus sancivit, suffragii jus cui tribuit, qua pro magistra usus est et docta et summopere audienda. Nil autem nunc tali de re, nuda potius maneamus ad exempla, quae JESU sermones praebeant; idque eo modo conabimur, ut in § 1 agamus de usu apologetico, quem JESUS fecit V. F. effatorum, in § 2 de usu eodem, sed sacrae historiae.

§ 1.

Usus Apologeticus s. Paraeneticus V. F. effatorum.

JOHANNES eventum anhelans felicem atque faustum, quem jam dudum exspectaverat, dum continuo spes eum frustrata erat, nunc in vincula conjectus, verens ne mors eum praeriperet saeva ante salutem, per tot annos fotam atque optatam, suae spei certum quoddam quaerit pignus. Duos ex suis discipulis mittit ad JESUM, quaesituros: utrum, quem ipse JOHANNES Messiam professus est, hic JESUS, qui tamdiu salute in differebat, revera esset, qui venturus erat Messias, an contra alter quidam esset exspectandus. Ad ipsum JESUM directa est quaestio, cui incredulitatis de Messiae adventu universe no species quidem inerat. Legatis responsum est ex Jes. XXXV: 5, sed non ipsis, Mt. XI: 5.
Luc. VII: 22. quae ibi aut in versione inveniuntur, verbis. JESUS, nuntiate JOHANNI, inquit, ea quae auditis et videtis: τοφλοὶ ἀναβλέποντι καὶ χωλοὶ περιπατοῦσιν, λεπροὶ καθαρίζονται καὶ καφοὶ ἀκούοντιν (καὶ) νεκροὶ ἐγέρονται καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, quae eodem fere modo leguntur Luc. VII: 22¹⁾.

1) Citatum apud Lucam est ἀσυνδετόν. Verba in Jes. XXXV: 5 audiunt:

Quem nuntium laturi abeunt legati. Turbis (*τοῖς ὁχλοῖς*), undique confluis, summae incredulitatis ea JOHANNIS quaestio videbatur indicium; quare legatis profectis ad populum se dirigit JESUS, JOHANNEM τὸν ἀπιστὸν absoluturus oratione apologetica, qua ipsas turbas accusat¹⁾). Ille JOHANNEM, ita JESUS, revera est ille, quem vos putastis illum esse, morantem in deserto, magnum certe prophetam; est ille revera ὁ ἄγγελος, de

Mt. XI:10.
Lac. VII:27. quo locutus est MALEACHI (III:1): Ἰδού ἐγώ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδὸν σου ἔμπροσθεν σου. De industria hocce MALEACPI enuntiatum ita mutatum est; tuto id fieri potuit; nam notissimus erat locus, eumque a sciente ac prudente de industrio esse mutatum quisque, vel simplicissimus, animadvertere potuerit. Ne populum suspicio subeat ex eo, quod tantus propheta, quem promissum audibant esse τὸν ἄγγελον, de JESU dubitarit, ipsum MALEACHI locum assert JESUS, prudens ac sciens verba inserens πρὸ προσώπου του, ut indicaret: se majorem esse quam JOHANNEM, qui, domino longe inferior hujus tantum causa a Deo erat missus. Quam firmiter autem illa

τότε ἀνοιχθήσονται δφθαλμοὶ τυφλῶν καὶ ὅταν κωφῶν ἀνακούσονται τότε ἀλεῖται ὡς ἔλαρος ὁ χωλός, τραχῆ δὲ ἔσται γλώσσα μογγλάλων.

1) Plane alium orationis contextae nexus vidit EWALDUS l.l. V. 310-313; ubi inter alia dicit: „Wirklich war die kurze Antwort JESUS' nicht sehr fähig, auch war sie nicht dāzu bestimmt, seinen (JOHANNIS) Zweifel niederzuschlagen”.... den zuletzt während seines langen Leidens in ihm sprossenden Zweifel nahm er sicher in den wenigen ihm noch übrigen Tagen nicht zurück”.... p. 317. Num ea vera sint valde dubito. EWALDUS dicit: (p. 311) JESUM cogitationes de JOHANNE dolorose acceptas sapienter celasse, sed, legatis missis, eas effudisse coram discipulis aliisque praesentibus.

mutatio textus animos perculerit, inde patet, quod LUCAS (VII:27) non tantum eundem habeat textum modificatum, sed etiam MARCUS, (I:2) qui suo marte hoc loco usus, ex Sacra Scriptura eum petivisse videri potuisset, nisi ex ipso MARCI loco luce clarius pateret, illud MALEACHI enuntiatum, a JESU de industria mutatum, hanc formam retinuisse et ita memoria servatum MARCO esse traditum. Quo enim alio modo verborum τῶν LXX apud MARCUM explicares mutationem, cui textus Hebraeus nullam ansam dat¹⁾?

Verborum fere ejusmodi vel etiam majorem mutationem animadvertisimus in JESU oratione (Mt. XXVI:31), discipulorum vaticinantis fugam nec non aegritudinem, quum saeva adversariorum manus Magistrum iis esset de-reptura. Vaticinium autem, quod quidem eum respiebat, nec vero quo se defendat a JESU datum esse videtur, quo jure inter locos recenseam, a JESUS uum in usum apologeticum allatos, prius mihi dandae sunt rationes, quam ad ipsum ex V. F. citatum transeam locum. Nil facilius. Semper enim, quod ubique in N. F. libris historicis perspicuum est, summo ac flagrante discipulorum amore motum videmus JESUM. Quem plus

1) DOEPKIU, I. I. p. 217. „Indess ist soviel gewiss, dass derjenige.... es nicht aus der LXX haben konnte, sondern dass ihm der Hebr. Text selbst vorschweben musste.“ Nullo modo, nam citata Evangelistarum (et MARCI qui ἔμπροσθέν σου omittit) nimis ab Hebreo textu recedunt. Potius dicere — ex conjectura cui mihi partim ansam dedit MOUNIERUS, I. I. p. 84 — JESUM, effatum MALEACHI prophetae mutare cupientem eo quo fecit modo, sibi elegisse verba ex Ex. XXIII:20: καὶ ἵδού ἐγώ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προεώπου σου. Ήσσitan κατατικεύεται, πᾶς quod praeterea melius est, dictum est pro ἐπιβλέψεται (πιθ), ut omnis suspicio a JOHANNE amoveretur.

semel quasi querentem audimus, verentem, ne discipuli, tanto pretio empti tantaque eura servati, olim ἀπιστοι fierent et a se desciscerent. Hinc ejus admonitio Matt. XXVI: 41. Jure igitur dicere potuit: vehementer avebat satanas vos deducere, sed pro vobis ego precatus sum.

JESUS, qui praevidebat futura, omnem a discipulis removere voluit suspicionem et, quao inde oriri posset, sui despicionem. Quam ob caussam supra memoratae admonitioni praemiserat et descissionis futurae annuntiationem et, quo iis indicet omnia ea superne moderari, ipsum vaticinium, iterum, ut melius intelligatur, aliquantum mutatum. Descriptum est ex Zach. XIII: 7 et ita audit: πωτάξω (LXX πατάξωτε) τὸν ποιμένα (LXX τὸν ποιμένας μου) καὶ διασκορπισθήσονται (ἐκσπάσωτε) τὰ πρόβατα τῆς ποιμνίας (duo postrema verba absunt in τοῖς LXX)¹⁾. Eadem forma MARCUS eadem nobis tradit verba in Cap. XIV: 27, praeterquam quod duas postremas voces negligit.

Suo modo JOHANNES haec Domini verba suis ipsius innexuit²⁾). Universe dicerem ex JOHANNEO Evangelio de ipsa IESU verborum forma judicare nobis ubique non dari. Discipulus a Domino omnium maxime amatus hujus morem secutus est mentem urgendi, non verba. Quoad usum apologeticum vel ideo multa no-

1) Ipsa versio τῶν LXX non convenit cum Hebreis ייְהוָה וְתַחֲנוּן, quae vertenda erant: πάταξον τὸν ποιμένα καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα. Formula qua IESUS utitur est γέγραπται, unde patet ea nonnunquam magis ad sensum quam ad verba respici.

2) Vid. Joh. XVI: 31 ... Εὐα σκορπισθήτε, quod plane redolet verbum Matthaei, a τοῖς LXX discedens, διασκορπισθήσονται.

bis praestat JOHANNES, qui suum Dominum describit, in mediis periculis, omnigenis circumdatum adversariis, irretitum ab iis et irritatum. JESUM vaticinia ex V. F. hausisse, quibus se defendat et suum honorem ostendat esse majorem quam ut fatis posset imminui, doccat nos praescritim JOHANNES in sequente relatione:

Joh. XIII:18. „Abhinc id dico vobis, antequam factum sit, ut quando factum est, credatis, quod ego sum (ἐγώ εἰμι).” Ita alloquitur JESUS discipulos, postquam cum iis communicaverat, in se impletum iri vaticinium: ὁ τράχων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρυναν αὐτοῦ (Joh. XIII:18), quod mox illustrat illis εἰς ἐξ ὑμῶν παραδόσει με. Vaticinium petitum est ex Ps. XLI:10, cuius autem verba plane alio modo et ordine leguntur in versione Al.; quod ut melius perspiciatur, ea ipsa addimus, ὁ ἑσθίων ἄρτους μου ἐμεγάλωνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνίσμων. Ex Hebraeo textu et magis gracco quam *oi* LXX ipse vertit JOHANNES hoc vaticinium. Liberius autem quoque quam illi hic, acsi scriptum erat: **אכל לך עמי** **הגדיל על ערכו**; sed illud ipsum עמי μετ' εμοῦ hīc necessarium erat et ejusmodi textus est mutatio, quam jam supra animadvertisimus hac illave caussa provocatam¹⁾. Quia autem apud nullum Synopticorum hocce

1) Credo huncce locum de consulto ita mutatum esse (אכל לך עמי in אכל לך עמי). Sumptibus enim JESU discipulos vixisse nil suadet ut accipiamus. Quare non possum facere cum KYPKIO in Ohserv. Saer. (Wratislaviae 1755) ad loc. p. 402 dicenti: „aequipollent phrases ὁ τράχων τὸν ἄρτον μου et μετ' ἐμοῦ et ultraque significat: qui pane meo alitur s. famulus meus est.” Neque potest accipi quod idem auctor vult: „originem phraseos” querendam esse „in more veterum, quo ministris et famulis, etiam mensae non accumbentibus cibi ... in mensis dominorum.

invenitur enuntiatum, efficere non possum, num ipse JESUS an JOHANNES hanc instituerit textus immutationem. Idem valet de alio vaticinio, a JESU allato et a JOHANNE nobis servato, quod praeterea apud Synopticos non invenitur. Sunt verba, ex Psalmo

^{Joh. XV: 25.} XXXV: 19 allata: ἐμίσησάν με δωρεάν, quae acque mutata sunt ex οἱ μισούτες με δωρεάν, versione verborum שׁנָא חֶם, et simul explicant, sua caussa quidem, nec vero sua culpa odium Israëlitarum in JESUM promotum esset. Quid ceteroquin adversarius populus de se cogitaret non tanti faciebat JESUS, quanti discipulorum suorum bonam existimationem, qui ei erant δόκιμοι σινάπεως, unde aliquando exstituta esset Ecclesia, totum orbem terrarum impletura suoque amore complexura. Haec etiam est caussa, quod coram adversariis suam personam munusque non toties conatus sit defendere, idque speciatim ex quodam Sacrorum Scriptorum effato aut vaticinio. Quomodo enim sua de persona ex Sacra Scriptura disputare potuisset cum iis, qui modo plane alicno eam ἀναγνώσκει solebant! Quibus minus honorifice se accommodare infra JESU notam morum altitudinem, infra totam illam erat magnificam ejus effigiem, quam expressam habe-

residui tradebantur." Ipso aut a JOHANNE aut a JESU instituta est verborum mutatio; exempla ab ipso KYPRI ex classicis allata multo magis probant, citatum indicare ingratam proditionem *amici*, non *famuli*. Infra plura hac de re; hic addere licet illis superioribus: in KYPRI exemplis (I. p. 401) sermonem esse de δροσπέδοις καὶ δυστραπέζοις (ex Dinarche adv. Demosth. p. 17) aliisque ejusmodi. Multo melius J. ELSNERUS (Observ. Sacr. in N. F. libros, Traj. ad Rh. 1720) veram invenit citati sententiam. Vide I. l. ad locum I. p. 339. Num vero Mc. IX: 50 verba ἔχετε ἐξαρτοῦ ἄλας, quae ELSNER. vertit: *communi sale utimini*, huc referri possint, valde dubito.

mus in ejus historia, ex qua ad integrum, labe immunem, ἀναμνηστόν ejus concludimus mentem atque indolem. De Messia universe cum iis agere; de Deo, animi immortalitate, de vera sabbathi observatione, quid doceat Sacra Scriptura iis explicare, id quidem potuit; de sua autem ipsius persona nullo modo; nec fecit nisi rarissime. In mediis suis discipulis coenae Luc. XXXII:37. accumbens in se potuit applicare illud, ex Jes. LIII: 12 petitum, vaticinium: καὶ μετὰ ἀνθρώπων ἐλογίσθη, nec vero coram Phariseis. Qui eum morti tradendi consilium jam dudum animo foverant, quam avide isti hocce arripuisserent verbum, tota hoc in consilium spreta et neglecta contexta oratione! Non ita ejus discipuli, qui totum Sacrorum Scriptorum, ut ita dicam, organismum spectare jam tunc sine dubio ab eo didicerant. Quod vaticinium LUCAS nobis communicat a JESU ipso dictum esse, id MARCUS exhibit in historia mortis JESU, duos inter λύστας cruci affixi (Me. XV: 28)¹⁾. In Hebraeo textu leguntur נָמָנָה פְשׁוּעִים וְאַתָּה, quae verba LXX vertunt: καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐλογίσθη. Ipsa verborum optio ostendit usum versionis Alexandrinae.

JESUS in usu apologetico saepius indicat verborum multorum brevem sensum; ita e. c. quum discipuli eum

1) SURENNIUS explicat hunc locum ad Marc. XV: 28 (ubi quod bis occurrat נָמָנָה pro נָמָן lapsus hypothetac patet esse) et defendit usum vocis ἐλογίσθη. Sed verba ex τῶν LXX aperte desumpta sunt. Ex iis, quae a JOHANNE didicimus et caeteris exemplis, quae probant JESUM ultimis diebus multa adhibuisse vaticinia, efficimus suo loco hocce citatum a LUCA esse memoratum. Quod lectio τῶν LXX audiat ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐλογίσθη nullum facit diserimen; cum ἐν τοῖς hic significet idem, quod μετὰ τῶν; nam utraque formula definitur verbo ἐλογίσθη.

rogarent, cur cum populo in parabolis loqueretur et nudam ei non exponeret veritatem, (quod cupiebant discipuli, qui aventes horam exspectabant, qua de rebus divinis cum omnibus παρθήσοις loqueretur), iis responsum

Mt. XIII:13. est: Διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, οἵτις βλέποντες
Me. IV:12. Luc. VIII:10. οὐδὲ βλέπουσιν, ναὶ δικούσοντες οὐκ ἀκούσουσιν οὐδὲ συνιεῦσιν.

Quae certo certius respondent verbis sequentibus a Matthaeo ex Jes. VI:9 additis. Ne putentur omnia illa, quae Matth. XIII:13—15 allegata sunt, ab ipso IESU dicta esse; quod quominus opinemur rationes prohibeant hae: 1^a Quia eadem verba apud Joh. XII:40 leguntur, ubi ex toto relationis contextu patet: illa IESU non tribui; 2^a quia IESU mos non est, postquam alicujus vaticinii sensum dederat, ipsa illius vaticinii verba repetere (Cf. Mt. XI:5, Joh. XIII:18 supra allata); 3^a quia a sana ratione universe alienum habendum est, ipsa verba praecedere verborum sensum; 4^a quia nullum alterum in IESU sermonibus citatum invenitur vaticinium tam longum; 5^a quia apud MARCUM et LUCAM, qui quidem eundem narrant easum, in hujus relatione hoc citatum abest; 6^a siquidem tam Actuum Apostolorum quam Evangelii

1) De duobus versibus 14 et 15, quos nos IESU abnegamus, conferri possunt A. KESSLERUS l. l. p. 552, 560; SURENHUSIUS, p. 240—242 (e quo verba notanda sunt „ἀναπληροῦται in praesenti tempore pro ήσα, vel ὅπως πληρωθῇ”). De comm. 15 SCHOETTGENIUS l. l. p. 130; DOERK. l. l. p. 219—221; FOCKENS. l. l. p. 268; SEPP. l. l. p. 152 (qui ἀναπληροῦται vertendum vult per: præterea πληροῦται, quod minus verum videtur, vide FRITZSCHIUM ad locum); MOUNIER. l. l. p. 86—91 (qui voculae ὅτι in commate 13 aliam tribuit vim quam in versu 11, haec tantum inserviet verba dicta inducendo. Jure. De ipsa forma citati plura habet p. 88). De styli citati indole vide ELSNERUM l. l. ad l. l. 66.

tertii LUCAS est auctor, num in Jesu historia oblitus esset verba, quae ipse in Actibus (XXVIII : 26) sua sponte allegat? 7^a quia citatum tam vulgatum, ut toties in N. F. occurrat quoties fere nullum alterum, facile ab ipso Matthaeo addi potuit; 8^o ceteroquin apologeticis suis in orationibus inter discipulos habitis nunquam ita ad literam verba premit JESUS, quam hic factum est; 9^a multo magis est Evangelistae, JESU dicta ac facta vaticiniis confirmare studentis (Mt. I : 22, 23; XII : 18—21; XIII : 36). [Hacc tam fuse exponere nobis opus visum est, ne quis hunc locum, qui et nobis diu fuit erux gravissima, nobis objiciat, nostram opinionem de usu, quem JESUS inter amicos secutus sit, apologetico impugnaturus. Tantum abest ut in dicto usu tantas Sacrorum Scriptorum sectiones ita κατὰ πόδα allegarit JESUS, ut multo magis ad illos locos, quorum sensum discipulis suis voluit exponere, indicandos, saepius vel unum verbum, unum praे omnibus eminens factum ei sufficerit. Quam inter Israëlitas, JESU aequales, per vulgata fuerit Sacrorum Scriptorum pervestigatio, abunde docet NATHANAËLIS et PHILIPPI historia. Quam ob caussam JESUS CHRISTUS, ex morte in vitam revocatus, jure sibi visus est congregatis discipulis sat per-

Inc. XXIV. 44. spicere locutus esse, quum dixit: Δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωϋσέως καὶ προφήταις καὶ φαλαισὶ περὶ ἐμοῦ. Omnia in se editorum vaticiniorum sensum gravissimum breviter ita comprehendit: θτὶ οὕτω γέγραπται καὶ οὕτως ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ π. τ. λ.¹⁾. Semper

1) Ad hos tantum locos respiciens dicere potuit DOEPK. l. l. p. 52:

enim suam dignitatem profitendo et ad sacra scripta recurrendo suorum fidem augere voluit et confirmare. Propter eorum δλιγοπιστίαν reprehendit duos viatores Emmaicos, qui tardi animo, exigui fide prophetarum dictis non satis firmam tribuerunt fiduciam eamque ob caussam de ipso CHRISTO, mortem nuper passo, dubitare ausi sunt. Minoris quam justo fidei JESUS accusat PETRUM, quem, in defensionem domini stricto gladio, reprehendit hisce verbis: Ἡ δοκεῖς ὅτι οὐ δύ-
Mt. XXVI: 53.
54.
ναρπαὶ ἀρτί παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου; Πῶς οὖν πληρώθωσιν αἱ γραφαὶ ὅτι οὕτω δεῖ γενέσθαι;

§ 2.

Historiae sacrae usus apologeticus s. paraeneticus.

Historiam sacram, qua se suamque agendi rationem defenderet, JESUM saepius adhibuisse jam supra verbo monuimus, quod fusius exponere nunc lubet. Gravissimos et summe egregios viros V. F. sui adduxit in exemplum, quo non tantum sua ipsius facta omni purgaret criminis suspicione, sed etiam suam doctrinam comprobaret et stabiliret. Quo facto et adversarios ab eorum malignitate voluit reducere et spretam suam dignitatem convincere, ἵνα σωθῶσιν. Huc pertine-

„Und erst nach seiner Auferstehung wird erzählt, das er seinen Jüngern die Weissagungen der Propheten ausgelegt habe, die auf sein Leiden und Sterben Bezug hatten“ Verissima autem sunt, quae paullo post sequuntur: „Christus musste also zu ihrer Ueberzeugung aus Moses und den Propheten darthun, dass ein solcher Messias in den Heiligen Schriften selbst verheissen sey.“

bant vici Nazareth incolac. Reducem in patria cives accusarunt JESUM minoris, ut videtur, patriae amoris, quia in aliis urbibus, Caphernahum e. c. mirifica prae-
 stiterat facta, in ipsa autem patria nil tale fecit. Suos igitur ipsius cives negligere, vel saltem eos non satis dignari putabant JESUM, quippe qui peregrinis in locis, nunquam autem domi suae, stupendam suam ostenderit vim. Quos ita clamitantes refutat JESUS provocando ad ELIAE, summi prophetae, agendi rationem, et paucissimis verbis eum indicat sprevisse ipsam patriam, viduam contra servasse peregrinam. ACHABUS
 Luc. IV: 25. sc. pessimi regis tempore magna aquac penuria et inde exorta annoniae caritas pressit Israëlis populum infidelem. Quamvis per totam Israëlitarum plagam exarefactam pallida saeviebat fames, ad neminem autem missus est ($\varepsilon\pi\acute{\epsilon}\mu\phi\theta\eta$) ELIAS, nisi ad viduam Sareptae¹⁾). Eodem modo ELIAE discipulus ELISA, ex multis leprosis, qui eo tempore dirissima edebantur scabie, nullum sanavit nisi peregrinum NÄMAN Syrum. Qua igitur ratione ELIAS et ELISA Israëlitas spreverunt propter illorum $\alpha\pi\iota\sigma\tau\iota\alpha\nu$, ea quoque eos praetermittere JESUS cogitur $\delta\alpha\tau\eta\alpha\pi\iota\sigma\tau\iota\alpha\nu\alpha\tau\omega\eta$ (Mt. XIII: 51).

Magnam difficultatem praebet citata ELIAE historia, in qua memorantur verba: ὅτε ἐκλέισθη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ ἔτη τριανταὶ καὶ μῆνας ἔξι ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν

1) Quam accuratissimus, sicut ceteroquin ubique, hic quoque est JESUS in ipsa historia tradenda, usus verbo $\varepsilon\pi\acute{\epsilon}\mu\phi\theta\eta$. Versio Alexandrina audit (1 Reg. XVII: 9): Ἀγάστητι καὶ πορεύεται εἰς Σαρεπτὰ τῆς Σιδώνιας (C. Σιδώνιος). LECHLERUS I. l. p. 830 effert judicium minus verum de fundamento comparationis, de temporis definitione et rebus accidentalibus hac in narratione.

γῆν, quae neque in versione Alexandrina neque in textu Hebraeo ita leguntur. Illic habet בְשָׁנָה הַשְׁלִישִׁית verba, quae illa apte vertit per ἐν τῷ ἐνιαυτῷ τῷ τρίτῳ, quae autem nunquam significare possunt tres annos et dimidium¹⁾. Neque ea verba a JESU ipso addita esse opinor, quae si omittuntur, v. 26 non sejungitur ab illis πολλαὶ χῆραι ἡσαν ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡλίου ἐν τῷ Ἰσραὴλ, sed multo magis arctius cum iis conjungitur. Nil practerea faciunt illa verba ad vim JESU effati augendam, dum si negliguntur omnia melius procedunt. Si comparamus v. 25 verba ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡλίου ἐν τῷ Ἰσραὴλ cum verbis v. 27, de ELIA dictis, ἐπὶ Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ex ultimis verbis efficitur, JESUM non voluisse certum quoddam tempus definitum. Animadvertenti fundamentum comparationis plane erit perspicuum, illam parenthesin δτε — τὴν γῆν supervacaneam esse et otiosam, quac si tacite praetereatur, pulcherrimus in sermone JESU exstat parallelismus duarum relationum ELIAE et ELISAE. Unicum autem formae discrimen, quod intercedit et, eo ipso, exempli alterius repetitionem nobis explicat et probat tanquam necessariam, quaerendum est in vocibus ἐπέμφη Ἡλίας et οὐδεὶς ἐκκεφαλίσθη εἰ μὴ N. δ Σ. In priore

1) Multa haec de re disputat MENTFOOTIUS ad locum, p. 766: „Liceat mihi ergo sic distingnere; quod ELIAS clausit coelum per triennium ne essent pluviae: ut apud librum Regum, et quod non erant pluviae per triennium et sex menses: ut Salvator, et JACOBUS.” Porro ad justam impluvii computationem acquirendam putat: Inde a fine mensis Nisan (temporis pluviae serotinae) usque ad mensem Marchesuan (mensem primae pluviae) fuisse impluvium. Tum exspectatae sint uberrimae pluviae, quum autem e contra ELIAS coelum in triennium seravit. p. 768.

exemplo subjectum est ELIAS *Servator*, in posteriore NAÄMAN *Servatus*. Prius exemplum explicat Deum noluisse JESUM mittere ad Nazarethanos, posterius additur, ne hoc ipso se excusare tentent; NAÄMAN enim *ipse venit* et ἐναθερισθη. ELIAS in priore exemplo excuset JESUM, NAÄMAN in posteriore accuset incolas Nazarethanos. Concinna brevitate, quam eo modo tota accipit JESU oratio, aperte indicatur, eam hocce modo a JESU potuisse proferri; parenthesin autem additam nil posse, nisi vim ejus sermonis diminuere et debilitare. Caeterum usus formulae Σέρπτα τῆς Σιδῶνος (Hebr. 1 Reg. XVII : 8) צְרָפָתָה אֲשֶׁר לִצְדָּון (2 Reg. V : 20) נַעֲמֵן הַאֲרָמִי, lectionem τῶν LXX prae se ferunt.

Quod hoc loco vidimus JESUM contra objectiones Nazaretharum verosimiliter duo opposuisse exempla: unum, quod *a sua parte* explicaret suam agendi rationem, alterum quod *a parte auditorum*, eorum accusaret ἀπίστια; idem fere, sed quodammodo aliter, animadvertisimus in Matt. XII : 38—42 et Luc. XI : 29—32. Duo facta historica Phariseis signum quaerentibus opponuntur, alterum praebet historia JONAE, qui, sicut ELIAS in priore exemplo ad viduam, a Deo missus est ad Ninevas; posterius continetur historia Reginae Meridiei, quae, sicut in altero exemplo NAÄMAN Syrus ad ELISAM, venit ad SALOMONEM, ejus sapientiam exploratum. Priore in casu propheta Israëlite missus erat ad indigentem viduam peregrinam, et dux peregrinus leprosus, auxilium flagitans, adierat Prophetam Israelitam; hoc in casu propheta Israëlite missus erat ad urbem peregrinam,

et regina peregrina sapientiae avens adierat regem Israëlitarum. Fundamentum comparationis in utroque casu efficitur partim vi oppositionis; *in priore*: inter viduam, quae, quamquam peregrina, ELIAM missum accepit, et Nazarethanos, qui, quamquam cives, JESUM missum non accipiunt; inter NAÄMAN Syrum, qui, quamquam peregrinus, prophetam ELISAM adiit, et Nazarethanos, qui, quamquam cives, JESUM non adeunt; *in posteriore*: inter Ninevitas qui, quamquam peregrini, JONAM missum audierunt et Phariseos qui, quamquam Israëlitae, JESUM non accipiunt; inter reginam Austri quae, quamquam peregrina, SALOMONEM adiit, ut tentet ejus sapientiam, eo consilio ut eum vineat, sed vieta laudem ei non detraxit, et Phariseos, qui, quamquam Israëlitae, JESUM non adeunt, nisi ut eum tentent et vincant, sed victi laudem debitam ei derogant. — Quae h̄ic exposuimus ea tantum explicant Mt. XII: 41, 42 = Luc. XI: 31, 32. Majorem pariunt difficultatem verba quae praecedunt vexatissima. In Luc. IV explicant versus 25—27 praecedentes vs. 23, 24, ita ut ELIAE agendi ratio (v. 26) respondeat ad murmurationes Nazarethanorum, qui conquesi sunt: JESUM alias miracula fecisse nec vero in ipsa patria (vs. 23); porro NAÄMAN ELISAM adiens (vs. 27) probet (vs. 24): „Nullus propheta gratus est sua ipsis in patria.” — Videamus nunc quo respiciant Mt. XII: 41, 42 = Luc. XI: 31, 32. Nullo modo autem vs. 41 respicere potest ad vers. 38, quia in eo inducuntur Pharisei loquentes et agentes et signum quaerentes, quorum agendi rationi opponitur vs. 42, sc. exemplum reginae meridiei, quae quaesiverat signum

sapientiae. Nec potest respicere ad vs. 40, quia hic vs. 39 partis tantum posterioris exhibet comprobationem, vel potius explicationem, quod patet ex ὅσπερ γέροντες (cf. Joh. V : 4, 26, Mt. XXIV : 27, 38), cui formulae fere ubique ea inest vis explicandi et comprobandi. Ad priorem partem vs. 39 respicere non potest, quia sunt verba ex Pharisaeis audita a JESU repetita. Respiciant igitur necesse ad alteram partem vs. 39, cujus vs. 40 est explicatio. Nunc autem contendeo, nullo modo commate 41 comprobari posse sect. undequadragesimae partem posteriorem. Quis enim? Signum non dabitur (*γενεράλισμα*) ei, nisi signum JONAE prophetae. Quodnam illud fuit signum? Si respicimus ad versum 41, responsio est in promptu: conversio post praedicationem JONAE. Sed ταῦτη τῇ γενεράλισμῳ hoc datum iri signum JESUS prorsus non voluit. Id etiam patet ex vs. 41; nec Pharisaei tale quid voluerunt, qui rogantes σημεῖον portentum aliquod voluerunt. JESUS illud ipsum verbum accipiens ac retorquens, ei prorsus aliam notionem subiecere non potuit, siquidem vellet ab hominibus intelligi. Si respondetur: „signum constare veritatis divinitatisque notae, quae, sicut JONAE prædicationi, ita toti JESU apparationi fuit impressa,” equidem dico: tale quid pulcherrimum fortassis esse nostro tempore, sed nec Pharisaeos nec Ninevitas talem sublimem cogitationem mente capere potuisse; præterea parvum sane vocandum est signum, quod adspici nequit; nam Pharisaei hanc „notam divinitatis”, quae per se ex effectu prædicatio- nis comprobatur, minime agnoverunt aut viderunt. Nil igitur nobis restat, nisi statuamus vs. 41 respicere ad vs. 39, explicitum versu 40, modo hoc: Viri Nine-

vitae surgent in die judicii *cum*¹⁾ hocce genere idque accusabunt; quia illi se converterunt ad praedicationem JONAE *ex alvo piscis servati*, qui veluti mortuus, in vitam revocatus est; Pharisaci autem sc̄ non convertent ad praedicationem JESU *ex corde*²⁾ *terrae servati*, qui mortuus in vitam revocatus est. Ne dicant, Ninevitarum aures σημεῖον JONAE famam nondum attigisse. Id facilius est dictu quam probatu, quia nescimus quantum temporis practerlapsum sit inter priorem ac posteriorem JONAE missionem. Praeterea explicetur, unde factum sit, ut gens peregrina tam submisso verba audiverit JONAE. Fortassis ab ipso illo σημεῖῳ exorsus est JONA suum vaticinium, nam qui *tam parum erat vanus, tam integer*, ut vel cum nautis suum communicarit vitium, eoque ipso ab iis habitus est propheta; num ille ipse non p̄ae se ferret, cur non antea venerit, sed tamdiu sit moratus? Ne dicas MARCUM huncce versum 40 non habere, nam si tibi constare vis, et versus 41—43 ejicias, qui aequem MARCO desunt. Praeterea MARCI relatio VIII:11 huc non pertinet. Ne provocetur ad LUCAM, qui aliis verbis fere idem habet quod MATTHEUS. Dicit enim versu 30 (Cap. XI.): καθὼς γὰρ ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς Νινεύιταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ

1) *Cum*, non *contra*. Vide WINTERUM in Gramm. p. 337: Auch übersetzen KÜHNOL. und BCURS. Mt. XX:41 μετά e. gen. falsch *contra* rlg. cf. WAHLIN Cl. p. 556; FRITZSCH. ad locum p. 445.

2) Miratur FRITZSCHIUS in Matt. XII:40 haud legi ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς γῆς, sed ἐν τῇ καρδίᾳ. Id autem explicandum est ex Jon. II:4. ὅπερρηψες με εἰς βάθη καρδίας θαλάσσης. Totum citatum ad literam est ex τοῖς LXX, ubi JONA (II:1) legitur: καὶ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήπου τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

ταῦτη. Si voluerit dicere: JESUM voluisse praedicationem JONAE esse signum, unde illud ἔσται, tum enim scribere debuit ἔστι, nam JESUS jamdudum praeedicaverat. Sed jam satis, forsitan nimium quid hoc de loco difficultissimo, quem autem fusius exponere nobis opus erat propter vehementes in authentiam hujus loci invectiones.

Attamen neque ego hunc locum ad ipsam JESU orationem refero talem qualis hic occurrit. Certo certius est temporis definitiones, qualium hic mentio fit, inter se conciliari non posse. Praeterea, quod et ex praecedentibus et ex sequentibus patebit, JESUS fere nunquam aut potius nunquam plura allegat quam quae ei opus sunt verba. Deinde dicerem: JESUM nunquam certos definitosque numeros in futuris rebus indicandis, unica forte vice excepta,² posuisse, nec supra neque hic. Quibus omnibus perpensis textum legi vellem temporis definitione, quae ei inest, immunem, quo facto omnia fluunt, dum alioquin aqua haeret.

Tam cito autem tenaciores Pharisaei non depelluntur a consilio semel concepto. Id doceat historia coecli nati (Joh. IX), quem iteratis iteratisque quaestionibus saepe iisdem defatigant Pharisaei obdurati. Quamvis nunc repulsi sunt, aptiore tempore denuo JESUM odiosum irritabunt Pharisaei. Mox optatum venit tempus.

Mt. XVI: 1.
Mc. VIII: 11. MATTHAEUS nobis narrat (XV: 39) JESUM, turbis dimissis et nave adscensa, venisse Magadam, ubi mox Pharisaei eum adeunt, iterum signum quoddam petentes, nunc *ex coelis*¹⁾ (XVI: 1). JESUS eos repulit dicendo: eos

1) De Magdala, s. Magada, s. Mageda et Dalmanutha, cf. LIGHTFOOTIUS: Decas Chorographica, (MARCO praemissa p. 551—556). — Dr. JOHN KIRKTO, Scripture lands illustrated by a Complete Biblical Atlas, Lon-

aptissimos esse ad signa coeli observanda, quidni et signa temporum possent dignoscere. Tandem dicit: καὶ σημείον οὐ δοθήσεται αὐτῇ; εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ (τοῦ προφήτου), quibus dictis se removit. Interim advene-
runt, qui ad victum quaerendum navem reliquerant, ejus discipuli. Idem fere narrat MARCUS (VIII:11), qui pro Magdala habet εἰς τὰ μέρη Δαλμακιουθά, eundem quem MATTHAEUS denotans locum¹⁾). Hic quoque narrat, JESUM nuperrimo navem reliquisse, nec vero omnia habet tam accurata quam MATTHAEUS, aequem ac priorem jam omiserat relationem. JESU responsum tamen et MARCUS nobiscum communicat: τί ἡ γενεὰ αὕτη ζητεῖ σημεῖον; ἀμὴν λέγω ὑμῖν εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταῦτη σημεῖον. Quibus dictis JESUS abit. Conceden-
dum est, MARCUM hoc loco JONAE nullam facere mentionem; quod autem nil refert, quia MATTHAEUS in tota relatione prolixior est et accuratior, certo hīc verior videtur.

Mt. XI:21.
Luc. X:13. Alio tempore Judaeos accusat JESUS, eosque infe-
riores dicit quam *Ninevitas, Sodomitas et Gomorrhano*s,
populos ethnicos, qui e stirpe ABRAHAMI non fuerunt.
JONA a Ninevitis auditus est ejusque verbis fracti
fleentes et moerentes se converterant ad Deum; vel
quod magis est, Regina Austri sua sponte venerat
SALOMONIS sapientiam auditum. Illi omnes pudore

don 1850, in mappis VIII et XIII unum locum e regione alterius po-
nit. Vide ejus „Remarks” in indice.

1) Quia JESUS iis promiserat signum quoddam *ex intimo corde terrae*,
Pharisaei, quasi subsannantes, rogant signum non ἐξ ψεύδεις τῆς γῆς,
sed ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. Et MATTHAEUS et MARCUS postrema haec verba
habent, unde LUCAS minus accurate priori relationi ea jam intexit.

suffusuri sunt eos, qui ex Israëlitis negarent audire eum, qui JONA major est, sapientior quam usquedum omnium sapientissimus SALOMO. Chorazin et Bethsaida comminatur easque urbes inferiores ducit quam Tyrum et Sidonem, de quibus JESAIÄ et JEREMIA conquesti erant et quibus Dei jussu flebilem addixerant perniciem. Cum Sodoma quoque Caphernaüm comparat et quam illam pejorem nuncupat hanc urbem (Mt. XI: 21—24, Luc. X: 13). Gentibus non tantum inferiores fuerunt Israëlitae hujus temporis, sed, quod vere est stupendum, suorum patrum similis vel pejor proles. Vere erant filii eorum, qui suos prophetas necaverant, quamvis horum saeve trucidatorum monumenta sepulcralia magnifice extruerent, religiose colerent homicidarum liberi. Utinam redcant ut,.. sed non redibunt, sed flagitiis inquinati et alti, sed sceleris illecebris nimis dediti, omnigenis vitiis contaminati, pergent necando et saeviendo in ipsos, quos JESUS iis mittet Prophetas et Apostolos, ita ut summorum, quae sat tristia jam habent, gravissimorumque obliti exemplorum, in se trahant πᾶν αἷμα δικαιού ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἀβέλ τοῦ δικαιοῦ ὡς τοῦ αἵματος Ζαχαρίου νισοῦ Βαραχίου, δυὲ φονεύσαν μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου¹⁾). Quis

Mt. XI: 21-24.
Luc. X: 13.

Mt. XXIII: 33.
Luc. XI: 49-51.

1) De gravissimo hocce loco plurima exponere non opus erit, quia in commentariis jam multa hac de re acta sunt. Hoc loco autem JESUM voluisse dare vaticinium quoddam accipi non potest, et multo minus MATTHEAEUM, ad posteriorem quandam eventum respicientem, haec verba τοῦ Βαραχίου addidisse. (KEEBSII Observ. in N. T. c FLAVIO JOSEPHO, Lips. 1755, referunt illa verba ad fl. jos. de B. J. Lib. IV. cap. V, § 4, et tradunt JESUM vaticinasse eadem futuram. *Laza* autem inter-

ille fuerit ZACHARIAS, sive filius sive nepos JOJADAE, quo in loco et quam ob caussam occisus sit satis docet narratio in 2 Paral. XXIV:22 obvia. MATTHAEUS majorem quam LUCAS, in hacce relatione nobiscum communicanda, nobis parit difficultatem, additis illis *viciō Βαρραχίου*, quae LUCAS plane omittit. Sua vice autem etiam hic suam difficultatem secum fert, ipsa forma qua relationem induit. Verba enim, quae MATTHAEUS ab ipso JESU dicta tradit, Lucas inducit citati forma ab JESU prolati, modo hoc: Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπε· Ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας κ. τ. λ. Quae-

pretatione difficultates expedire conatur, quae talēm opinionem premunt. Vid. 1.1. p. 50 et 51; idem putat HUGIUS, qui autem dicit: JESUM quidem vaticinasse illam necem, sed quia MATTHAEUS post eventum scripsit, hic posuit *aoristi* tempus, ubi JESUS *futuro* usus sit. Ita censet laxam KREBSII interpretationem evitare). Vide opinionum recensionem in LANGII Bibelw. Bielev. 1857, p. 333; et quae in Stud. u. Krit. 1841. III. a MÜLLERO sunt conscripta. — Evidem diecrem: verba, de quibus lis agitur, explicationis causa addita esse; hīc porro poni τοῦ Βαρραχίου pro vero nomine, tali lapsu memoriae, qualem offendimus Mt. XXVII:9, ubi ZACHARIAS commutatur cum JEREMIA. — Liceat LIGHTFOOTII sententiam, semper concinnam, hīc subiungere: „De ZACHARIA, filio JOJADAE, a JOASO rege occiso 2 Parall. XXIV sermonem esse hisce rationibus adstruimus. Quia nullus alius ZACHARIAS occisus dicitur, ante prolatā a CHRISTO haec verba. Quae de ZACHARIA, Baptistarē patre, hīc dieuntur, somnia sunt: et quae de ZACHARIA, uno e duodecim prophētis, parum absunt a somniis. Disertis verbis memoratur occisio ZACHARIAE nostri in templo; et quare, hoc neglecto, alium quaereremus; quem certe nullibi invenimus apud aliquem certae fidei autorem?” 1.1. p. 435. Haud negligenda sunt quae LIGHTFOOTIUS animadvertisit p. 439: „Memoratur solum de ABRAHE et ZACHARIA petitio vindictae. „„Ecce, vox sanguinis fratris tui clamat ad me,”” Gen. IV:10. Et „„videat dominus et requirat,” 2 Parall. XXIV:22.” His addi possunt ZACHARIAM *mīsum esse* a Deo inter Israēlitas tanquam *Prophetam* et ideo optimum esse hīc exemplum, sicut antea ELIA et JONA id fuerunt.

stio cst, quid significant illa verba $\dot{\eta}$ σοφία τοῦ Θεοῦ; num scil. fuerit liber quidam, hocce nomine insignitus, eo tempore bene cognitus, nunc autem deperditus. Quod si verum est, novum inde petitur argumentum: JESUM praeter canonicos alios quoque libros citasse. Illud voluerunt cum pluribus aliis EWALDUS et BLEEKIUS¹⁾. Nullo autem modo probari potest talem librum unquam exstitisse. Sunt quidem nonnulli libri, etiam apud Judaeos posteriores, qui titulo **רָכְמַת פָּא** insinuntur. Nullus autem scriptor Judaeorum ausus es- set sub ea inscriptione librum aliquem promulgare. Si respicimus ad locum parallelum Matt. XXIII : 34, pro verbis $\dot{\eta}$ σοφία τοῦ θεοῦ legendum esset εἶπόν, quam particulam JESUS de se ipso adhibet; quod voluerunt DE WETTIUS, MEYERUS (ad locum), RITSCHLIUS²⁾, BAURIUS³⁾ et HILGENFELDIUS⁴⁾. Fuerunt etiam qui putarent, vocibus illis indicari V. F. libros propheticos⁵⁾. Nos vero ad MATHAEUM respicientes, inde efficiimus: JESUM suo nomine et suo marte illa verba dixisse; porro quod LUCAS, pro εἶπόν eum prima persona

1) Vid. BLEEKIUS in Stud. u. Krit. 1853. p. 334, EWALDUS in libro: Die drei erste Evangg. p. 329, qui dicit quandam scriptionem hīc citatam esse, quae nomine $\dot{\eta}$ σοφία τοῦ θεοῦ seculo quinto a. C. N. confecta est.

2) RITSCHL, Evang. Marcions. 1846, qui putat LUCAM allegasse verba prioris MATTHAEI. Cf. p. 89; KÖSTLINUS, I. l. p. 163 dicit, LUCAM huic dicto voluisse tribuere speciem vaticinii, quod non aderat.

3) BAUR, Kritische Untersuchungen über die Kanonischen Evangg. rlx. Tübing. 1847, p. 401.

4) HILGENFELD, Krit. Untersuch. p. 386 et die Evangg. rlx. Lips. 1854, p. 190, qui comparata vellet Mt. XI:19 et Luc. VII:35; et dubius est, utrum sumat pro sapiente Dei Consilio, an pro ipso JESU.

5) VOLCKMAR, Ev. Marcions p. 60.

ἀποστέλλω et pronomine *πρὸς ὑμᾶς* (Mt. XXIII : 24), usurpaverit *ἡ σοφία τοῦ θεοῦ* cum tertia pers. *εἰπε* et pronomen *εἰς αὐτούς*; *partim* explicamus ex eo, quod LUCAS socius fuit PAULI, qui in Epist. priore ad Cor. II : 7 etiam utitur formula *σοφία θεοῦ* — *ἢν προάριστον ὁ θεός πρὸ τῶν αἰλίνων εἰς δοξαν ἡμῶν*; *partim* ex charactere LUCAE historico, quo ductus erat, ut scripscerit ex mente ipsorum JESU verborum, qui culpae commercio problem praesentem cum parentibus seelestis conjunxerat. Idem commercium nunc efficit LUCAS, quum vaticinium ab eo communicatum tum respiciat tum prospiciat *εἰς αὐτούς* (et proavos et posteros), de quibus in praecedente commate (48) sermo fuit. Hinc quoque explicandum est, quidni prima persona adhibuerit, sed gratae vicissitudinis causa formula *ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ*, pro qua MATTHAEUS, scriptor *τῶν λογίων*, praebet ἐγώ.

Diutius hīc morari non licet neque opus est. Jam

Mt. XIII, 3-5. sup ra verbo attigimus exemplum DAVIDIS ex hi-
Mc. II, 25, 26. storia sacra proiectum, DAVIDIS, qui panes comedit
Luc. VI, 3, 4. propositionis ceteroquin sacros. JESUS simul licentiam
commemorat, sacerdotibus Lev. XXIV : 5—9 datam,
die sabbatho illos panes disponendi in templo; quibus
omnibus se defenderet contra Judaeorum incriminatio-
nes, in se suosque discipulos prolatas, qui die sabbathi
hordea trita comedebant. Bene animadvertisatur apud tres
Evangelistas inveniri ἄρτους προθέσεως, per quae verba
לחם פנים versa sunt 1 Sam. XXI : 6, unde relatio
petita est; dum alias (Ex. XXV : 30) aut ἄρτοι ἐνάπιοι
audiunt, aut ἄρτοι τοῦ προσώπου (Neh. X : 33; 2 Chron.
IV : 19). — MARCUS addit ἐπὶ Ἀβιδάρ τοῦ ἀρχιερέως,
quod non vertendum est cum WETSTENIO et SCHLEUS-

NERO: „tempore ABJATHARIS sacerdotis summi,” quia ABJATHAR eo tempore nondum sacerdos summus fuit, sed ejus pater AHIMELECH (cf. 1 Sam. XXI—XXII); nec, sicut vulgo factum est „sub pontificatu ABJATHARIS;” nec cum multis recentioribus, SURENHUSIUM (I. Thes. XXXIX) male secuti, „in *pericope ABJATHARIS*,” quia 1° tum τοῦ ἀρχιερέως supervacanea esset ad-ditio; 2° quia aliis verborum ordo desideraretur; 3° quia nil ansam dat, neque ex contextu, neque ex more Judaeorum, ut hīc tamquam pericopae nomen inveniamus ABJATHARIS. Multo magis credendum est, MARCUM usum esse ABJATHARIS pro ejus patris nomine, quia hic mox extinctus est et ille talis DAVIDIS videtur fuisse amicus, quali summa in angustia DAVIDI opus fuit. Explicanda sunt verba per ἐπὶ Αβιαθάρ (τὸν νιὸν) τοῦ ἀρχιερέως — ad ABJATHAREM sacerdotis summi filium¹⁾.

1) Quod ἐπὶ Αβιαθάρ τοῦ ἀρχιερ. scribi potuerit pro ἐπὶ Αβιαθάρ τὸν (νιὸν) τοῦ ἀρχ. pateat ex WINERO I. I. p. 171 et 523. Articuli absentia ne difficultatem pariat provoco ad Joh. VI:71: ἔλεγε δὲ τὸν Ἰουδαῖον Σίμωνος Ἰοχαεματηνῷ; XI:15 Στήπον τινα Ἐμμᾶρ τοῦ Συζέμι εἰρηκός. CLERICUS ad Hammundon (ex observv. ELSNERI I. p. 186) vertit: „ad ABJATHAREM pontificem;” quam versionem probari posse jure negat ELSNERUS (cf. I. I.), qui manut „sub ABJATHARE pontifice” aut „ejus tempore.” Praeter exempla ex profanis auctoribus provocat ad Luc. III:2, IV:27. Idem facit eodemque modo id probat FRITZSCHUS ad locum, quem gravissimum videatis, quippe qui multa hac de re habeat, et quod ab eo erat exspectandum, accuratam tradit opinionum recensionem. — Qnum autem summus vir p. 74 deridet CLERICI opinionem, ei derisionis jus hīc concedi non potest, ex mutilata, quam CLERICI affert versionem. Jure autem deridet eos, qui ἐπὶ Αβιαθάρ putant esse ἐν περικοπῇ Αβιαθάρ, quod vel SURENHUSIUS non fecit.

C A P U T I V .

U S U S D I D A C T I C U S .

Antequam ad ipsos, qui huc pertineant loci citati, transeamus, paucis verbis quid hocce Capite velimus nobis est explicandum. Tanquam prophetam JESUM nunc videbimus prodeuntem in scenam mundi Israëlitici. Ut autem ejus muncris eo tempore indeles et ambitus bene perspiciatur, videndum est qualis eo tempore populi Israëlitici conditio fuerit religiosa. Lex Mosaïca adhuc erat imperatrix et unica lex, sed jubens tantum atque vetans, quidquid Icti Rabbinici vellent vel putarent. Literis isti firmiter et anxie se adstringebant in legis interpretatione, saepissime arbitria. Si quis igitur hocce tempore legem cum fructu voluerit explicare, ab una parte legis mens ei elicenda fuit purissima, ab altera parte a Rabbinismi rabulatione et sordibus purganda. Eo ipso JESU opus didacticum jam fuit duplex, idque effici potest ex verbis ejus ipsius, quae Mt. X:19--20 leguntur. Legis cultus verus jubetur versu 19, Pharisaorum legis depravatio vs. 20 vetatur.

Nec tantum de lege iis temporibus agendum erat. Quum populus premeretur et se derelictum sentiret, vulgo suis vaticiniis se advertebat et a Deo flagitabat Servatorem (**עֶשֶׂר**); quod nunc quoque Judaei fecerunt. De vera vaticiniorum significatione igitur simul erat

agendum, siquidem vere doctor aliquis inter Israëlitas illius temporis voluerit prodire. Nec JESUS ea sprevit, sed saepius ad ea rite explicanda se contulit. Magnam partem suae institutionis de lege exposuit JESUS in Oratione Montana q. d., cuius citata ex lege Mosaïca mox tractabimus, postquam h̄c in antecessum pauca praemisimus de formula citandi πολυθρυλλητῷ, in Orat. Mont. tantum obvia: ἡκούσατε ὅτι ἐρήμην τοῖς ἀρχαῖοις¹⁾. THOLUCKIUS, quo relegamus, gratum laborem historiae exegeseos dandae nobis praeripuit.

In duas partes præcertim secesserunt interpretes, quos KYPKIU^s²⁾ concinne ita indicat: vertunt alii: *quod dictum sit ad veteres*, alii: *quod dictum sit a veteribus*. Ipse KYPKIU^s posteriorem defendit versionem contra SPANHEMIU^s³⁾, prioris patronum. Argumenta autem quibus *hujus* dubia vult enervare parum valent, quia ex profanis scriptoribus affert exempla pro sua sententia, quam SPANHENIUS ex grammatico N. F. usu infringere conatus erat. Nos cum SPANHEMIO et posteriore THOLUCKIO facimus, ἐρήμην τοῖς ἀρχαῖοις vertentes per „dictum est aī antiquos.” Ne prolixiores simus quam opus est, relegamus

1) Cf. A. THOLUCK, Philol. Theol. Auslegung der Bergpredigt CHRISTI. Hamb. 1835. Ed. altera, p. 156 sqq. Idem te docet lectionem ἐρήμην. s. ἐρήμην p. 156 in nota. — Quod autem Doct. vir de ELSNERI hac de re animadversione communicat, in ipsis ELSNERI observv. non inveni.

2) KYPKE, l. l. I. p. 23—24.

3) SPANHEMIU^s, Dubb. Evang. dub. 119. p. 3. p. 598, dicit: ἐρήμην cum dativo significare in N. T. *dictum esse ad aliquem* et constructionem esse duriorem si vertas *ab antiquis*. (Hypothetae certo lapsui tribuendum est, quod in KYPKIU^s observv. tanquam SPANHEMIU^s verba allegantur *ad antiquos*).

lectorem, ad doctissimum et uberrimum opus laudatum THOLUCKII, qui illa verba ita explicuit, ut posterioribus nil addendum fere reliquerit. De voce autem ἡκούσατε, quae omnem quaerit animadversionem, non ea dedit, quae a tali viro jure exspectare potuimus. BAUMGARTENUS¹⁾ de tota formula dicit: „totius formulae ratio mihi non satis accurate ab interpretibus, qui plerumque in quaestione illa grammatica versarentur, inquisita videtur.” Ipse autem reddit ad SCHOETTGENII²⁾ explicandi rationem et nil novi communicat, nisi quod conjungere studeat „dativum” a THOLUCKIO defensum cum SCHOETTGENII rationibus dogmaticis. THOLUCKIUS provocans ad Rabbinorum שמעה, explicat ἡκούσατε per audivistis (legem in Synagogis paelectam). Hinc explicat assumenta Rabbinica, quae sacris scriptis paelectis statim adjungebantur. Ea omnia vera sint. Quid autem tota formula significat in JESU ore?

Tota formula indicatur: „(Vos) audivistis dictum esse antiquis.” Non ubique autem eadem occurrit formula; vs. 31 ea mutatur in formulam: dictum est

1) BAUMGARTEN, l. l. p. 35—36.

2) SCHOETTGENIUS, l. l. p. 33. explicat ἐρρήθη per אִיתָמָר et ἐρρήθη τοῖς ἀρχαῖσις per אַמְרוֹ קָרְמוֹנִינוּ = dixerunt majores nostri. Praeterea IESUM ἔγω δὲ direxisse contra phariseos, ita argumentatur: 1° quia vv. 21 et 43 assumentum Rabbin. adjicetur legis effato; 2° quia Mosaicae legi JESUS se minime opposuisset; 3° quia אִיתָמָר de traditione tantum usurpatur. Non idem quidem vult BAUMGARTENUS; sed pro אַמְרוֹ קָרְמוֹנִינוּ legi vult אִיתָמָר; eoque modo utramque sententiam conjungere studet. Dijudicet lector! Simul, DRUSHI, LIGHTFOOTII aliorumque amplexus sententiam, vocem ἡκούσατε ad Synagogam reducte. — Lightfootii proprie est sententia, qua totam formam ita vertit: traditione accepistis veterem esse traditionem.

(ἔργη). In hocce commate, quod nondum animadversum est, ubi ἡκούσατε negligitur, ipsa sacrorum scriptorum sequuntur verba, nullis Rabbinorum adjunctis. Hinc pateat: ἔργη per se hac in oratione referri ad ipsa verba sacrorum scriptorum, et quod magis est, ἐγὼ δὲ non eodem modo hisce opponi, quo id factum est, ubi opponebantur vocibus ἡκούσατε ὅτι ἔργη τοῖς ἀρχαῖοις. Versus enim 31 et 32 conjunguntur per δὲ — δὲ, ita ut non eam habeat vim adversativam, quam μὲν — δὲ aut δὲ absolute positum, sicut vs. 22, 28, 34, 39, 44. Hinc egressi statuimus ἔργη τοῖς ἀρχαῖοις significare in ore JESU: „dictum est antiquis (MOSIS aequalibus),” quum ipsam MOSIS legem vellet indicare. Formula tum tota significaret: ἡκούσατε τὸν νόμον λέγειν. Lex per se est bona, sed vos eam non legitis integrum, omni additione immunem; e contra ἡκούσατε eam, sc. a Rabbinis mutatam et adauctam. Credo nullam difficultatem premere hancce sententiam.

Inde explicari potest, quomodo verbis legis Mosaicae addi possint Rabbinorum sententiae; eas enim praesentes JESU auditores ex ore solitorum magistrorum ἡκουσαν, quamquam in ipsa lege non scriptas. Ipsi verbo ἡκούσατε jam inest objectum, cui opponi potest ἐγὼ δέ. Nam si pro ἡκούσατε aliud quoddam ponatur enuntiatum, idem denotans, dici potest: Εἶπαν υἱοῖν ὅτι ἔργη κ. τ. λ. Hujus sententiae opponi potest ἐγὼ δὲ λέγω υἱοῖν, mentem legis eam esse etc. Posset quoque haecce explicatio reconciliari cum hac illave Rabbinorum formula, nec tamen video, cur tale quid opus sit. Nobis sufficerit, si et formula, a JESU adhibita, probet id, quod supra exposuimus, JESU in usu

didactico ab una parte vindicandam fuisse legis mentem purissimam, ab altera parte vero legem a Rabbinorum sordibus purgandam. Illam se velle in lucem protrahere indicat altera formulae parte ἐργῆν τοῖς ἀρχαῖοις, harum profligationem promittit prior pars ἡκούσατε. Videamus nunc ex exemplis in Orat. Mont. sequentibus, utrum hoc factum sit nec ne¹⁾.

1) Liceat hic conjecturam addere, quam satis firmare nondum possumus. THOLUCKUS l. 1. sicut quoque BAUMGARTENUS l. 1. quaerunt, eur positum sit τοῖς ἀρχαῖοις. Ille id explicat dicendo: JESUM simul voluisse indicare legem esse obsoletam, fere diceret antiquatam, quod BAUMG. non vult, et cui sententiae equidem oppono Mt. V:17—20. Unde autem ille usus verborum τοῖς ἀρχαῖοις, et quid proprie significant? Animadverte verba τοῖς ἀρχαῖοις usurpata v. 21, 27, 33; omissa v. 31, 38, 43. In prioribus locis allegantur Decalogi partes, in his legis partes extra Decalogram. Nonne autem fieri potuit, ut ἀρχαῖοι esset vel Dativus pro Ablativo (Col. II:14 (?), Vid. WINERUS p. 196), quo indicaretur locus, ubi inveniuntur illa citata; vel Dat., quo indicarentur homines (vide supra), ad quos τὰ ἀρχαῖα dicta sunt? Certo certius est, post verba τοῖς ἀρχαῖοις semper sequi aliquam partem ex Decalogo; ubi e contrario absunt, memorantur extra decalogram dicta: vs. 31 ex Deut. XXIV:1; vs. 38 ex Exod. XXI:24, Lev. XXIV:20, Deut. XIX:21; vs. 43 ex Lev. XIX:18. Quodsi vera sunt, formula ἡκούσατε ἔτι ἐργῆν τοῖς ἀρχαῖοις vertenda essent: audivistis dictum esse in lege PRISTINA, prisca (in pristinis, priscis). Verbum ἀρχαῖοι in ore JESU tum habuerit candem significationem, quam habent voces ἀπ' ἀρχῆς Mt. XIX:8, ubi MOSES adstrinxit e τοῖς ἀρχαῖοις. Hoc in casu illa ἀρχή legislationis esset Decalogus, qui efficit τὰ ἀρχαῖα.

THESES.

17

I.

Formula *πληροῦν* (*τὸν*) *νόμον*, quae apud profanos scriptores non invenitur, in N. F. libris significat: *legem ad ejus principia aut summam reducere.*

II.

Legis Mosaïcae vim, quatenus ea deduci potest ex *principio materiali*: amore Dei, et *principio formali*: amore hominis mutuo, JESUS minime sustulit.

III.

JESUS optimus est V. F. interpres.

IV.

JESUS, si quoddam ex V. F. attulit enuntiatum, ad totum hujus contextum optime respexit.

V.

Sacerorum Librorum argumento, non vero eorum loquendi formulis, verbis et voculis, JESUS auctoritatem tribuit divinam.

VI.

JESUM cum populo graece locutum esse verosimile est.

VII.

In rebus metaphysicis communicandis JESUS plerumque usus est methodo auctoritatis.

VIII.

Optimum contra Sadduceeos fuit argumentum, quod JESUS attulit ex Ex. III. (Vid. Mt. XXII : 32 = Mc. XII : 26 = Lue. XX : 27).

IX.

Psalmus II continet vaticinium Messianum.

X.

Psalmus II. est fundamentum JESU orationis, quae legitur Joh. V : 19—30.

XI.

Διπλασιοτύπη θεοῦ in N. F. ubique significat: *Dei integritatem s. perfectionem.*

XII.

In hoc quoque cernitur discrimen inter relationem IESU ad Deum et hominum ad Deum, ut ad prioris relationem indicandam nude dicatur, *τὸν θεὸν εἶναι s. μένειν ἐν αὐτῷ*, vel Eum *εἶναι s. μένειν ἐν τῷ θεῷ*; ad posteriorum contra relationem indicandam, illud *εἶναι s. μένειν ἐν τῷ θεῷ* nunquam fiat, nisi *intermedio IESU CHRISTO aut Spiritu Sancto.*

XIII.

In Joh. VIII:58 et XVII:5 sermo est de praecexistencie IESU reali q. v.

XIV.

Formula *ἐν εἴναι* in N. F. habet significationem *τοῦ eadem auctoritate valere.*

XV.

Verba *προεκυψόσαντες αὐτόν* (Luc. XXIV:52) e textu non sunt rejicienda.

XVI.

Verba τοῦ μεγάλου θεοῦ (Tit. II:13) pertinent ad sequentia Ἰησοῦ Χριστοῦ.

XVII.

Si quae demonstratio empirica q. v. ab hypothesi incipit, quae non probatur nec probari potest, tota demonstratio corruat necesse est. Atqui Cl. SCHOLTENII disquisitio, inscripta: *de vrije wil*, ab ejusmodi incipit hypothesi.

XVIII.

Libertatis definitio, quae legitur in opere Cl. SCHOLTENII: *de vrije wil*, p. 77, non valet; 1° quia nititur hypothesi nec probata nec probabili; 2° quia in ea conditio, cuidam effectui apta, cum ipso hoc effectu confunditur; 3° quia in praxi ipsa definitio solvitur; 4° quia ipsis additis exemplis non comprobatur.

XIX.

Libertas est vox, quae non nisi per antithesin et post hanc explicari potest.

XX.

Necessitudo (noodwendigheid) est series continua causarum et effectuum. *Necessitas* (noodzakelijkheid) est

continua hujus seriei interruptio. *Libertas* est haec series restituta, quippe quae necessitate sit liberata.

XXI.

Nullus sermo potest esse de caussis damni *internis* („invendige oorzaken van stoornis.”)

XXII.

Vitae negatio est vitae absentia, non mors; lucis negatio est lucis absentia, non tenebrae.

XXIII.

Ubi N. F. scriptores peccatum proponunt sub imagine *mortis* aut *tenebrarum*, quandam sibi fingunt conditionem *positivam* q. v.

XXIV.

Particula ἵνα in N. F. libris non tantum usurpatur ἐπιτελυκῶς, sed etiam ἐξεργατικῶς et explicative.

XXV.

מַלְאָךְ הַבְּרִית et **מַלְאָכִי** (Mal. III : 1, 2), qui igitur a se invicem sunt diversi. De priore loquitur Mal. IV : 5,

XXVI.

Duae diversae sunt narrationes, quae leguntur Mt. XXII:35—40 et Luc. X:25—28.

XXVII.

'Ο νομικός, de quo agit MATTHAEUS XXII:36, verbis πρώτη ἐντολή non inquirit in aliquam gravem ἐντολήν; sed in primariam aliquam, unde aliae ἐντολαὶ deduci possint.

XXVIII.

Nec propter praedictionem res fiet praedicta, nec propter rem praedictam hujus facta est praedictio.

XXIX.

Prophetae non erant prophetae, quia vaticinia edebant; sed vaticinia edebant, quia erant prophetae.

XXX.

Deo ipsum visionis argumentum, sibi ipsi formam externam, qua ea induitur, debebant prophetae.

XXXI.

Legis Mosaïcae interpretatio primarium fuit prophē-

tarum munus. Vel ideo DANIEL inter prophetas re-
ferri potest.

XXXII.

JESUS in mente habuit condere ecclesiam.

XXXIII.

'Ομιλίαις praesertim fiant sermones sacri.

in apidopog 1611. 1612. 1613. 1614. 1615. 1616. 1617. 1618. 1619.

1620. 1621. 1622. 1623.

1624. 1625. 1626. 1627. 1628. 1629. 1630. 1631. 1632. 1633.

1634. 1635. 1636. 1637. 1638. 1639. 1640. 1641. 1642. 1643.

1652.

1653. 1654. 1655. 1656. 1657. 1658. 1659. 1660. 1661. 1662.

1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672.

1673. 1674. 1675. 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. 1681. 1682.

1683. 1684. 1685. 1686. 1687. 1688. 1689. 1690. 1691. 1692.

1693. 1694. 1695. 1696. 1697. 1698. 1699. 1700. 1701. 1702.

1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. 1710. 1711. 1712.

1713. 1714. 1715. 1716. 1717. 1718. 1719. 1720. 1721. 1722.

1723. 1724. 1725. 1726. 1727. 1728. 1729. 1730. 1731. 1732.

1733. 1734. 1735. 1736. 1737. 1738. 1739. 1740. 1741. 1742.

1743. 1744. 1745. 1746. 1747. 1748. 1749. 1750. 1751. 1752.

1753. 1754. 1755. 1756. 1757. 1758. 1759. 1760. 1761. 1762.

1763. 1764. 1765. 1766. 1767. 1768. 1769. 1770. 1771. 1772.

1773. 1774. 1775. 1776. 1777. 1778. 1779. 1780. 1781. 1782.

1783. 1784. 1785. 1786. 1787. 1788. 1789. 1790. 1791. 1792.

1793. 1794. 1795. 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1802.

1803. 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811. 1812.

1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819. 1820. 1821. 1822.

1823. 1824. 1825. 1826. 1827. 1828. 1829. 1830. 1831. 1832.

1833. 1834. 1835. 1836. 1837. 1838. 1839. 1840. 1841. 1842.

1843. 1844. 1845. 1846. 1847. 1848. 1849. 1850. 1851. 1852.